

BARTOLI DE SAXOFERRATO

TRACTATUS DE FLUMINIBUS
seu
TYBERIADIS

Con presentazione di
GUIDO ASTUTI
dell'Università di Roma



BOTTEGA D'ERASMO
TORINO

TYBERIADIS,
TRACTATUS
DE FLUMINIBVS
DOMINI BARTOLI

De Saxoferrato;

in cuius

PRIMA HAC PARTE

de Alluionibus diuidendis modus demon-
stratur, nunc demum ab

HERCVLE BVTRIGARIO

SACRAE LATERANENSIS AVLAE EQVITE

Aurato à mendis innumerabilibus illum, tum

iniuria temporis, tum Impressorum

incuria obtenebran-

tibus,

Expurgatus, ad pristinumquè suum simplicissimum decus,

& nitorem summo studio, ac labore restitutus

in lucem prodit.

PROHEMIVM.



TYBERIADIS est Regio iuxta flumen
Tyberis constituta. Est autem Tyberis
Flumen, & est notabile in Italiae par-
tibus. Transit enim per urbem Ro-
mam; que cunctorum Ciuitatum ca-
put est, & magistra, & in eiusdem
urbis Territorio mare ingreditur, &
ibi nauigabile est, & usque ad mare retinet nomen suum. Di-
citur autem Tyberis à Tyberio Romanorum Imperatore; à quo

A aliquas


aliquas leges latas habemus, & sub hoc nomine flumen hoc in nostris legibus pluries nominatur. Hoc autem flumen montem illum laudabilem circuit, in quo est ciuitas Perusina situata, & per eius Territorium longo spatio transiens, planities, & colles, & cætera loca ipsi flumini circumstantia habet. Item bene habitata edificijs multis, & pulcris ornata, fructifera valdè, & delectabilia viridaria esse videntur. Cum igitur à lectura vacarem, & recreationis causa in quandam villam propè Perusium supra Tyberim constitutam accederem, incepti Tyberis circuitus, alluiones, Insulas in flumine natas, mutationesquè alvei contemplari, & circa multa dubia; quæ de factò occurrerant, & alia; quæ ego ipse ex aspectu fluminis excitabam, quid iuris esset, cepi aliquantulum intueri, nō tamen credens ultra procedere, ne recreationem, propter quam accesseram, impedirem. Cumq; nocte illa dormirem, propè diem visum est mihi, quòd ad me quidam homo veniret; cuius aspectus mihi placidus erat, dixitquè, hæc; quæ cogitare cepisti, scribe; & quia oculorū aspectione indigent, per figuras signa: Ecce apportavi tibi calamum; quo mensuras, & figuras facies circulares, & regulam; qua lineas ducas, figurasquè formes. Cui dixi, absit, quòd ea; quæ ad iura pertinent per figuras signem; si enim facerem, longè plures essent dirisores, quàm laudatores. Tunc ille turbato vultu aspiciens ait. Bartole; cognosco quòd modicum Dei habes: times enim de beneficio derideri? quod vitæ Christi, & Sanctorum omnium contradicit: quia bene facientes nō curant contumelias, derisiones, & verba iniuriosa. Modicum

etiam

etiam boni moralis habes. Timor enim hic; per quem à bono recedis, illi virtuti morali opponitur; quæ fortitudo nuncupatur. In te enim est bene agere; tui verò arbitrij non est, quòd quisque loquatur. Cui verècundus dixi; Tibi assentio: Sed primo motu ductus sic respondi, dicendo insuper, quæ erit via huius operis inchoandi? Qui ait, incipias secure, quia in eius operis prosecutione dominus tecum erit: & multa tibi aperiet; quæ tibi incognita sunt. Surgens igitur, confisus in gratia eius; qui in prosecutione mecum se futurum pollicitus erat, istud opus incepi, & totum opus appellavi Tyberiadis: ut non solum de ipso Tyberi, sed etiam de multis; quæ in regione Tyberis occurrunt, in ipso tractentur: Putans congruum, quòd sicut ab Vrbe Roma iura omnia processerunt: ita quod de Tyberi flumine Romano dicetur, ad flumina cuncta trahatur, & id, scilicet opus, in tres libros diuisi. In primo tractatur de Alluione. In secundo de Insula in flumine nata. In tertio de Alueo fluminis: In quo Tractatu primi libri figuras consideravi penitus componendas: ipsasquæ composui, & exposui circa eas. Et tunc secundi libri figuras incepi; & cum ibi aliqua dubia occurrissent, & circa ea vehementius cogitarem; me visitauit quidam frater Guido de Perusia, magnus Theologus; uniuersalis in omnibus; qui meus fuerat, & erat in Geometria magister, ibiq; erat, non proposito remanendi, sed tunc insurrexit pluuia magna, ita quòd mecum pernoctare coactus est, & sic morari per diem integrum naturalem. Tunc dixi. Verè cognosco, quod in prosecutione operis iam mihi dictum est, & cum ipso prædicta

contuli, ac figuras secundi libri formare compleui, & multa
spiritualia gaudia ex colloquutionibus spiritualibus secum ha-
bui. Quod autem in tertio libro dicturus eram, in mente ser-
uauit: Et cum omnibus istis Perusum sum reuersus, &
ea reuidi, & sub forma infra scripta libellum
composui, & uniuersitati nostrae tra-
didi sub anno Domini

MCCC LV.



VERBORVM

VERBORVM LEGIS;

QVAE DE ALLUVIONIBVS
diuidendis disponunt



EXPOSITIO D. BARTOLI
DE SAXOFERRATO.



AIVS in l. vij. ad eò. §. j. ff. de acquir. rerum dom. Quod per alluionem, ait, agro nostro flumen adiecit, iure gentium acquiritur nobis: Per alluionem autem id videtur adici, quod ita paulatim adiecit, vt intelligere non possumus quantum quoquo momento temporis adieciatur. Quòd si vis fluminis partem aliquam ex tuo prædio detraherit, & meo prædio attulerit, palam

est tuam permanere; planè si longiore tempore fundo meo hæserit, arboresquè; quas secum traxerit in meum fundum radices egerint, ex eo tempore meo fundo videntur acquisitas esse. Hæc illæ. Optimum fuit hoc; quod de iure gentium erat, in scriptis redigere, cum ex hoc variè contentiones oriantur. Verba itaq; dictæ legis construamus. Ait lex.

Quod, Istud verbum, quod, neutraliter accipitur, idest, quacuncq; rem, vt. ff. Nau. caup. stab. l. j. §. ait Prætor. Siue igitur terram puram, siue lapides terræ commissos adiecerit fundo nostro, nostrum efficitur, etiam si fuerint gemmæ, vel lapides pretiosi. Nec obstat Instit. de re. diuis. §. Item lapilli, quia loquitur de lapillis, in litore maris inuentis; qui in nullius bonis sunt; hîc de lapillis; qui prædio nostro adieciuntur. Idem si ligna,

vel

vel aurum, vel argentum, vel pecuniam prædio nostro adiecerit, nostrum erit; de quacumque enim re lex loquitur: Dumtamen ita adiiatur, quòd terræ cohæreat: quod patet ex verbo adiecit, quod infra exponetur. Nec hoc fieret inuentoris pro parte, vt de Thesauro dicitur Instit. de rerum diuis. §. Thesaurus. ff. de acqui. re. dom. l. xxxi. nunquam. §. Thesauros: ibi enim erat hæc pecunia ab antiquo posita; quæ Thesaurus in d. lege dicitur, sed pecunia est per vim aquarum ab incognito loco transducta, & prædio nostro adiecta. Nec etiã obstat. ff. de dam. infec. l. hoc amplius. §. j. & l. vij. de incen. ru. nau. l. ne quid. quia hoc intelligo, quòd cuius sint dictæ res adiectæ, ignoretur, aliàs dominij nostri, non efficerentur, vt ibi, & inferius declarabitur.

A D D I T I O N E S .

a ¶ **T R A C T A T V S** de fluminibus; adde quòd iste Tractatus est Do. Bartoli, prout cõmuniter tenetur; de quo dicit Bartolom. vero. in suo Tract. de seruitutibus, in Rub. Alluuiorum. Quòd materia alluuiorum abunde, & subtiliter tractata fuit per Bart. in isto Tract. Tyberiadis; qui etiam de alluuione inscribitur; ad quem tractatum vnusquisquẽ remitti poterit. Thom.

b ¶ **L A P I D E S** pretiosi, dicit Bart. hic quòd ligna, vel aurum, vel argentum, vel pecuniã quam flumen prædio meo adiecerit nostrum erit, vide do. Feder. de Senis in consi. cvij. incip. do. Franc. vbi vult, quòd si ego ignoro, cuius sint res in agrum meum delatæ, erit remediũ, quòd per Iudicem fiat proclamatio; de quo vide Alex. de Imo. in l. hoc amplius. §. de his autem in i. nota. ff. de dam. infec. Thom.

Per alluuiõnem. Hoc ab ipsa lege exponitur, vt infra patebit.

- 1 *Ager est locus sine edificio.*
- 2 *Agri tres partes sunt.*
- 3 *Via media inter agrum, & flumen non impedit ius alluuiõnis.*
- 4 *Ripa, & loca; quæ cedunt ripæ, agro vendito nou veniunt mensuranda, nisi dicatur.*
- 5 *Sepes prædiorum; quæ in vijs publicis coherent, se habent sicut ripæ; quæ sunt communes.*
- 6 *Fossæ; quæ sunt inter ripam, & fundum, sunt eorum; prædijs quorum adherent, vsus tamen eorum est publicus.*
- 7 *Fossæ; quæ sunt inter viam, & fundum, } qualiter mensurentur.*
- 8 *Ripæ; quæ sunt in fundo.*

- 9 *Concauitas sulcorum; quæ est annalis ratione cultura, vel aquæ deriuandæ, non mensuratur.*
- 10 *Fouæ agri dicuntur fieri ad perpetuam utilitatem.*
- 11 *Montes regulariter sunt inculti, & magna magnitudinis. Colles verò mediocris altitudinis, & culti, & distinguitur mons à colle estimatione circumcollentium.*
- 12 *Vallis dicitur locus montibus, vel collibus circumdatus.*
- 13 *Planus dicitur quando est latus, & partes sunt æquales.*
- 14 *Vallis qualiter à plano distinguitur.*
- 15 *Æqualitas in plano qualiter esse debeat. Planus quando dicatur notabiliter in vnam partem pergere.*
- 16 *Fossa agrorum, & ripæ viarum; quæ sunt in plano, plani sunt.*
- 17 *Statutum puniens factum in plano Thiberis, habet locum in facto in fossis agrorum, vijs, & ripis plani.*
- 18 *Factum in loco; in quo propter attractionem aquæ versus flumen vergit, an dicetur commissum in plano Tyberis?*

1 Agro Ager † in iure est locus quidã; qui sine edificio sic appellatur, vt .ff. de verb. signif. l. ccxi. Fundi. Et l. Ager. xxvij. quid ergo, si cū haberē donum iuxta flumē, ibidem per alluionē flumē adiecerit? Certè meum erit. idcirco .n. legislator a agri nomine vsus est, vt ostendat alluionem fieri respectu soli, nō aedificij super impositi; & ad hoc etiam ostendendum, in inferiori parte legis; quam supra retulimus; agri, & fundi nobis facit mentionē; quorum appellatio generalis est etiam ad aedificia, vt .ff. de verborum signif. l. lx. locus, & l. cxv. quæstio, & l. ccxi. fundi. Sed cū agri tres partes sunt ipsius agri planicies. Item loca; quæ ripæ cedunt, scilicet ex quo primò à plano vergere incēperint vsque ad aquam, intelligendum est de his, quæ incipiunt vergere propter attractionē aquæ. .ff. de flu. l. iij. flumina, & ibi no. Item ripa: hoc est id, quod flumen continet, naturalem rigorem cursus sui retinens, vt .ff. de flumi. l. j. §. ripa. Quomodo dicatur adiacere, potest quæri, sed respon. cuiusque dictarum partium adiacere, satis est, quòd appareat, quia si † via media esset, ius alluionis nō impeditur, vt .ff. de aquir. rerum dom. l. xxxvij. martius: & ideo gl. insti. eo. §. præterea, dicit (exponendo super verbo adiecit) ponendo iuxta tuum præ-

dium.

- 4 dium. Queritur, † quando ager venditur, an ripa, & loca; quæ ripæ cedunt, veniant mensuranda; quod nō videtur. ff. de contrah. empt. l. l. litora. In contrarium facit, quod supradixi, & videtur casus. ff. de fun. instr. l. prædia. §. ita legatum, & ibi not. pro quo facit, quòd d. l. litora. loquitur in litoribus maris; quæ communia sunt. Ripæ autem fluminis sunt eorū; qui prope ripas prædia possident, v. ff. de rerum di. l. v. riparum. Resp. quòd prædicta non veniunt mensuranda, nisi sit dictum, sicut dicimus in limitibus fundi; quæ coherent vijs publicis, vt. ff. de peri. & com. rei vend. l. vij. id quod. §. j. Ratio autem est, quia prædicta nō venduntur, sed magis rei venditæ accedunt, quod apparet, quia per se vendi nō possunt. Cū enim riparum vsus sit cōmunis de iure gentium, apparet, quòd proprietates sola per se esset inutilis; cum semper duret vsus alterius, vt. ff. de vsur. l. iij. tamen ideo per se non censetur, sed alteri cedit, & hoc vult dicere tex. in d. l. id quod. §. j. de peri. & com. rei. vend. quod nota.
- 5 Ex illo collige † quòd sicut se habent ripæ; quæ sunt communes, ita etiam se habent sepes prædiorum, quæ vijs publicis coherent,
- 6 arg. d. l. id quod. §. j. Et † quod supradictum est, idem intelligo de fossis; quæ sunt inter viam, & fundum ead. ratione. Ille enim fossæ sunt eorum; quorum prædijs adhærent, quod patet, quia ripa viæ est ipsorū vt limites prædij, vt l. xxxvij. Martius, de acquir. rer. dom. & not. Inst. de rerum di. §. riparū, Ergo fouea; quæ est inter illam, & fundum nostrum, est nostra, vt. ff. de aqua plu. arcen. l. ij. §. Præterea, & ibi not. via autem non potest dici, quia per illam non itur, nec comiteatur, ergo non est via, vt l. ij. ait prætor, ne quid in loco publico. §. publici loci, puto tamen, q̄ vsus sit publicus, sicut viarum; quod supra dictum est. Nec prædictis obstat l. xxvij. prædia. §. ita legatum, de fund. instr. quia ibi loquitur in ageribus, & fossis, quæ sunt inter ipsum fundum, & sic sunt iura proprietatis, & vsus domini ipsius fundi: vnde cum vendantur, veniunt mensuranda. † Sed dubitatur qualiter istæ fossæ; quæ sunt in fundo, mensurentur: videlicet, an mensuretur superficies; quæ sit à latere foueæ, & quæ sit in fundo foueæ, an verò mensuretur cum toto agro, sicut si foueæ plenæ essent. Respondeo, Ager dicitur ab agendo secundum Vgutionem, & sic ab actu, quia per eum possunt boues, & alia animalia duci, quod importat nomen actus. Si igitur fouea esset ita plana, & eius

latera

latera ita lata, q̄ laborarentur, vel laborari possent cum bobus, dico eam mensurandam. Si verò (vt sæpe accidit) ripæ fouearum sint rectæ, ita q̄ per eas iri, & agi non possit, tunc foueæ mensurantur cum fundo, ac si planæ essent, & ita obseruatur. Ita dico de ripis; quæ in fundo essent, vt si quidem cum bobus coli possent, eorû superficies veniat mensuranda; secus, si ita essent erectæ, quòd sic coli nõ possent: tunc enim mensuratur solum, quod dicta ripa continet, sicut si in fundo aliquis murus esset: Eadem ratione prædicta vera sunt, nisi aliter actum sit expressè, vel tacitè. l. id quod. §. j. de peric. & com. rei vendi. Dico autem tacitè: puta si ad mensuram aliquod prædium venderetur montuosum, saxosum, vel plagiosum, seu riposum, licèt enim hoc propriè agi non potest, tamen mensurabitur, 9 sic enim actum videbitur. † De cõcauitate verò sulcorum; qui sunt annalis culturæ, vel aquæ deriuandæ, vt .ff. de aqua plu. arc. l. j. §. de eo opere; dico in mensura rationem non habendam, quoniam illa 10 nõ est forma agri perpetua, sed culturæ causa factum. Foueæ † verò agri ad perpetuam vtilitatem fieri dicuntur, vt .ff. de impen. in reb. dot. fa. l. xiiij. in pensæ. Ei autem, quod dixi, prædium; quod totum est riposum, vel plagiosum esse mensurandum, contradicere videtur quod supra dixi, ripam, & loca; quæ ripæ cedant, per se non posse vendi: sed respondeo, quòd omnia loca; quæ à plano incipiunt vergere vsquè ad aquam, intelligendum est propter alluionem aquæ. Si enim intra duos montes vadat flumen, nõ omnes penditiæ môtis b dicentur ripæ, quoniam naturaliter vergent versus aquam, vt not. in d. l. pen. de flum. b Huius gratia, quid sit † planities inuestigandum 11 est: ad quod sciendum, est habita noticia eorum, quæ plano opponuntur, vt mōs, valis, collis, & similia: Mōs, locus altus est. l. xxxvij. si ædes meæ. de serui. urban. præd. quod intelligo de magna altitudine, quod infra dicam. Dicitur autem mons secund. Hugutionem, & Papiam à mouendo per contrarium, quia nõ mouetur, quod intelligo non de ea immobilitate; quæ vniuersæ terræ congruit, sed quia non mouetur, scilicet per culturam, id est, non colitur. Terra enim; quæ colitur, benè mouetur. Durat igitur mons vsquè ad locum; quo coli incipiunt penditiæ, igitur appellatione montium nõ continetur, quia ibi terminatur mons, & ita vtimur, nisi certi loci vsus aliter se haberet. Si tamen intra montes essent aliqua culta,

B montis

montis appellatione continetur, sicut pars appellatione totius, vt ff. de rei vendic. l. xxiiij. in rem. §. Quæcunque. Collis autem ab altitudine mediocri dici potest: propriè autem collis dicitur à colendo, quasi mediocres montes; quia coluntur. Ita exponit glos. scripturæ diuinæ super illo versic. Psalmi. Montes exultauerunt, vt arictes, & colles sicut agni ouium. Sunt enim montes magnæ altitudinis, & communiter sunt inculti. Intellego autem colles habentes altitudinem propriam, non continuatam cum montibus habentibus maiorem altitudinem. Si enim continuarentur, tunc si essent culti, dicerentur penditiæ montium, vt dictum est: tamen in non nullis partibus locus magnæ altitudinis, licet cultus, dicitur mons, & locus altitudinis, licet incultus, dicitur collis. Distinguitur ergo mons à colle altitudine, vel cultura, vel estimatione circumcolentium, simile. ff. de flum. l. i. §. i. † Vallis verò dicitur locus montibus, vel collibus circumdatus: à vallyo vallas, quod idem est, quod circumdare, & est locus planus parvæ, seu mediocris magnitudinis. Planus † dicitur à πλάτος grecè, quod idem est, quod æqualitas secundum Papiam, Duo igitur requiruntur. Primò, quòd sit latus: secundò quòd sint eius partes æquales, idest æqualiter planè, ita q̄ vna aliam non superexcedat. Distinguitur ergo Vallis † à plano circumdatione; potest enim planus esse non circumdatus à montibus, vel alia altitudine, & iuxta mare: Vallis autem non dicitur, nisi ab altitudine circumdata. Item differt etiam latitudine, quia si sit locus parvæ latitudinis montibus, vel collibus circumdatus, tunc dicitur vallis: si autem est magnæ latitudinis, tunc dicitur planus, hoc autem stat in opinione circumcolentium: Differt etiam qualitate, quia vallis dicitur etiam si habet concauitatem, planus autem æqualitatem requirit. Æqualitas † autem qualis esse debeat, dubitari potest; puto autem omnimodam partem; quæ vergit: vix enim reperitur locus; qui aliquantulum in aliquam partem nõ vergat, saltem tamen, vt profluens aqua demonstrat, ideò dixi sufficere, quòd non vergat, simile. ff. de via pub. & Itin. pub. l. Ediles. in princ. notabiliter autem in vnâ partem uergi probabiliter dici potest, quando inde aqua profluens multum de terra aufert, ita q̄ eius vsûm, & culturam faciat deteriorem, ff. de aqua plu. arcen. l. i. §. fi. Et arg. de ædil. edict. l. i. §.

Sed

- Sed sciendum: in his autem multum circumcolentium opinio facit.
- 16 † Fossæ agrotum, & viarum ripæ ipsius plani sunt; loquor autem de plano totali, vt si de plano Tyberis loquatur. Sicut enim fossæ; quæ sunt in fundo, fundi sunt: ita quæ sunt in totali plano, plani sunt l. xvij. prædia. §. ita legatum, de fund. instruct. Et statuta; quæ loquuntur de his; quæ in plano Tyberis committuntur, locum haberent etiam in his; quæ in dictis foueis committuntur, & ripis committi contingeret. † Quid ergo si committeretur in eo loco; quo propter attractionem aqua uersus flumen vergit? an in plano Tyberis dicatur esse commissum? Videtur quòd non, dicta l. penult. ff. de flumin. ex quo à plano vergere incæpit, licet dictio à, separationem denotet, vt glo. ff. de action. empti. l. iij. datio. §. finali. Ergo ille locus sic vergens est separatus, & distinctus à plano. Respond. si quæretur an talis locus appellatione agri mei contineatur, dicendum est, quòd non per rationem prædictam. Si verò quæritur, an totalis planus Tyberis appellatione contineatur, attendendum est, si quidem fluminis planum vadit, ita quòd ab vtraque parte fluminis planum Tyberis nominetur, quòd in dicto loco fieret, in plano fluminis factum esse diceretur. Quinimo etiam quòd in ipso flumine fieret, in tali plano sub totali appellatione nominato factum esse diceretur. Cum enim ipsum flumen aditus, & exitus ab vtraque parte vnus plani appellatione cõtineatur, ergo & ipse fluuius, aliàs flumen per medium dirimeretur, nec esset vnus planus, sed plures plani, arg. ff. de verbor. signif. l. xxv. rectè dicimus. Facit, & est quasi casus; quia quòd fit in aqua putei in ipsa re factum esse videtur, vt ff. Quod vi, aut clam. l. xi. Is qui in puteum, in princ. quòd si in illa parte fluminis essent montes, vel colles, tunc ille locus propter aquæ attractionem vergens, plani appellatione, non continetur, sed vbi planus desinit, & locus ille ripæ fluminis cedit d. l. penult. de flumi. nec etiam ipsum flumen aliunde habet aditum, arg. ff. vti poss. l. iij. si duo. §. sed si supra eas, cum simil.

A D D I T I O N E S.

- a ¶ A G R I nomine. vide Bal. in Rub. ff. de acquiren. re domi. & Ang. de Are. in §. præterea quod per alluionem. Instic. de rerum diuis. Thom.
- b ¶ H V I V S gratia. De ista materia ponit plenè Do Fely. in cap. Rodolphus. in

verfic. declarantur de rescript. Et vide Alex. de Imol. in cons. xxv. in vij. vol. incip. consideratis his. Thom.

- 1 *Noster dicitur ager, vt habeat locum alluuiō, non solūm respectu domini, vel quasi: sed etiam iure pignoris, vel vsufructus, vel quouis alio modo.*
- 2 *Via intermedia agro non impedit ius alluuiōnis.*
- 3 *Prædia ciuitatis; quæ coluntur sicut priuata, habent ius alluuiōnis.*
- 4 *Additum per alluuiōnem placet eæ, vel campo; cui acquiratur.*
- 5 *Additum alluuiōne loco sacro, vel religioso, vel alicui cæmeterio, ei non acquiratur, & in nullius bonis est, & occupanti conceditur. Locus sacer intermedius impedit ius alluuiōnis.*

Nostrum, † Nostrum = quidem, quantum ad præsens spectat, ager dicitur, quod siue ad nos pertineat iure domini, vel quasi, vel iure pignoris, vel vsufructus, vel quouis alio. Si enim ager ad nos spectat iure domini, eodem iure alluuiō pertinebit, vt hîc. Et idem si quasi domini, vt. ff. de publicia. in rem act. l. xiiij. si ego. §. Idem ait. Idem si pignoris, vt. ff. de pignorat. act. l. xvij. si conuenerit. §. si nuda. de pig. l. xvi. si fundus. in prin. Item si vsufructus, vt. ff. de vsufr. l. x. item si fundi. §. i. Plus est, quod si fundus ad nos spe quadam spectaret, illo iure ad nos spectaret alluuiō, vt. ff. de leg. i. l. xxiiij. quod in rerum. §. ij. eodem enim iure, quo fundus, censetur. Item, licet hîc dicat, agro nostro, Insti. u. eo. §. Præterea. dicit agro tuo. intellige autem, quod sit alicuius, idest ad aliquem iure priuato pertineat. Si enim

- 2 esset † iuris publici, vt via, tunc in ea adhæreret, & iuris publici non efficeretur, sed eorum; qui propè viam prædia possident, vt. ff. de acquir. re. domin. l. lxxxviij. Martius, & quod not. Insti. de rerum diuis. §. riparum. Quæ autem sunt † prædia ciuitatis, non tamen in vsu publico: sed per ciuitatem coluntur, sicut per priuatum, ea ius alluuiōnis habent: sunt enim tamquam priuata, vt. ff. de
- 4 contrahen. emp. l. vi. sed Celsus, in prin. † Quid dices, si alicui campo; in quo fieret forum, vel fortè platea per alluuiōnem flumen addiderit? Resp. Isti campi plateæ sunt: Platea autem secundum Hug. Et Pap. idem est, quod via ampla, seu via lata: ergo &c. sed via
- 5 cedit iure publico, non officit, vt dicta l. lxxxviij. Martius. † Quid

autem

autem si alicui loco sacro, vel religioso flumen adiecerit, vel alicui cœmeterio, vel loco aliter consecrato? Resp. ei non acquiritur, non enim est ager noster, sed in nullius bonis est, vt. ff. de rer. diui. l. 1. Nec potest dici, quòd acquiratur ei; qui ab alia parte loci sacri prædia possidet: locus enim sacer medius impedit acquisitionem, licet via non impediret, vt. ff. de aqua plu. arden. l. xvij. si prius. §. sed loco sacro; Et de serui. l. xiiii. seruitus. §. finali. Non enim potest dici, quòd locus sacer ita dicatur prædij, sicut dicitur de via, d. l. lxxxviij. Martius. Via enim destructa, suppletur à prædio vicino. l. xiiij. si locus. §. fin. ff. quemadmod. seruit. annit. quod de loco sacro non reperitur. Puto autem, quòd talis alluuiò in nullius bonis sit, sed occupanti conceditur, sicut in alluuiòne; quæ agris limitatis, accedit, vt. ff. de flu. l. 1. §. si Insula. Et §. seq.

A D D I T I O.

- 2 Thom. D. Nostrom, Nota quod si arbor tua ui fluminis delata in agrum meum se coaluit cum terra, an efficitur mea, & an poteris agere contra me ad estimationem arboris, vide plenè per Paulum de Castro in l. hoc amplius. §. de his autem, & ibi Alexand. in secundo nota. ff. de dan. infec.
- 1 *Flumen publicum dicitur, quod perpetuò currit: Quæ autem in hyeme currunt, & non æstate, priuata sunt.*
- 2 *Flumen priuatum nihil tribuit per alluuiònem adicere tamen potest.*
- 3 *Torrentia, seu fossata agrorum cur priuata sunt.*
- 4 *Fossata posita in consinio duorum prædiorum communia sunt.*
- 5 *Fossatum existens prope finem prædij; de quo apparent instrumenta antiqua; in quibus possessores emerunt prædia à latere, intelligatur esse eorum; qui prædia à latere possident.*
- 6 *Alluuiònis ius an locum habeat in riuis.*
- 7 *Fluminis ripa; quæ erat iuxta prædium, si corrui, ita vt flumen alueum mutet, alueus acquiritur prædio.*
- 8 *Stagna, & lacus si priuata sunt, non habent ius alluuiònis: secus si publica.*

Flumen, De Flumine publico loquor, & ista declarabimus, vt patet in ea parte legis; quam in tertio librò declarabimus; per quam exprimitur, quòd loquitur de flumine; quòd est iuris publici. Probatur: flumina

† publica

- 1 † publica sunt; quæ perpetua sunt, vt. ff. de flum. l. 1. §. fluminum. Et ideo glo. Instit. de re. diuis. §. flumen. super tex. qui dicit, quòd flumina omnia publica sunt, exponit omnia, idest perpetua. vt Padus, & Rhenus. Quædam verò sunt priuata, vt fossata in agro posita; quæ quandoquæ currunt, quandoquæ non. Ista sunt verba glo. Item Ross. in libellis super interdicto, ne quid in flum. publ. dicit
- 2 † quòd flumina; quæ in hyeme currunt, & in æstate non, sunt priuata: & benè dicit; ista enim vocantur torrentia, vt. ff. de flum. l. 1. §. Item fluminum. si igitur priuata sunt, per alluionem nemini possunt aliquid tribuere: Si enim cursum mutant, semper solum remanet eius, cuius primò erat. Quod autem dixi per alluionem non posse adiicere, intelligas apponendo, ita q̄ prædium extendatur. Superponendo verò potest adiicere, sicut pinguedo agri superioris adiicitur agro inferiori. l. 1. §. fin. ff. de aqua plu. arcen.
- 3 † Et si quærat, cur 2 priuatorum sunt ista fossata, seu torrentia, dico hoc facti esse. Potest enim probari, quòd per alicuius prædium aqua prorupit, & fossatum fecit, vel inter prædia plurium aqua iuit: tunc secundum terminos antiquos prædia erunt diuidenda, & alia fossata. Vel si potest probari, qualiter sint ab antiquo possessa. Quòd si (vt sepè accidit) nullum istorum, vel aliud sufficiens possit probari, tunc puto illorum esse; qui prope ab vtraq; parte prædia possident, cuiuslibet vsq; ad medium, arg. eius, quod dicitur de Insula, & alueo dimisso. ff. de acqui. re. dom. l. vij. adeo. §. Insula. & §. quod si toto, & quod etiam in secundo, & tertio lib. huius expressum esse comperies. ff. de aqua plu. arc. l. ij. §. præterea, vbi textus dicit, si in confinio fossa sit: glo. exponit in confinio scilicet duorum fundorum, & sic erat communis fouea, Et sic infert, quòd eo ipso; † quod est in confinio prædiorum, est commune.
- 4 Quod etiam expressius declarat ibi text. dum dicit, eam partem; quæ tibi accedat; Et sic expressè innuit, quòd eis; qui ab vtraq; parte possident prædia, accedunt. Quod intelligo, nisi ea fossata essent in vsu publico, tunc n. dicerentur publica, vt. ff. ne quid in loco publ. l. ij. §. hoc interdictum. Et est expressum. ff. vt in flum. publ. nauig. lic. l. 1. §. fossa † Sed quid, si reperiantur instrumenta antiqua; in quibus possessores prædiorum à latere emerunt prædium, & prope finem appositum fuit fossatum? Videtur ad eos per-

tinere.

tinere. Ipsa. n. emimus, & non confines; pro quo facit, quod fundi nihil est, nisi quod intra se continet, vt. ff. de actio. empr. l. xviii. fundi, in prin. Credo, quod similiter intelligatur esse eorum; qui à latere prædia possident, vt supra probatum est; Nec obstat, quod non emuntur fines: quod fateor, sed tamen possibile est, q̄ rei venditæ accedat: sicut si emerem fundum, & accessiones, & ponerē pro fine ripā fluminis, sicut ^b etiam ponerem pro fine viam, quò ad quid fundo cedit, vt. ff. de acquir. re. dom. l. lxxxviii. Martius. Nec obstat d. l. fundi, in prin. Quia illa regula, quod fundi nihil est, nisi quod intra se continet, patitur exceptiones per alias regulas, vel leges: vt in aquæductu; qui est extra prædium, vt. ff. de contrahen. emp. l. xlviij. si aquæductus, & in limitibus prædiorum, & in vijs, vt supradictum est: & in tali fossato. l. ij. §. præterea, de aqua plu. arcen.

6 † De riuis verò, & alijs nominibus fluuiorum, seu quæ aquarum cursus significant, quid iuris sit, & an in eis alluionis sit ius, in secundo lib. vbi de Insula tractabimus, dicetur. Quoniam text. in

7 l. 1. ff. de riuis, de hoc ibi facit mentionem. Sed quæro † quid, si ripa prædij versus flumen naturaliter se extendit, quia fortè ibi erat lapidicina accrescens; de qua dicitur. ff. sol. matr. l. viij. diuortio. §. si vir in fundo. Et euidetur videtur Pisis apud montem Pisanum in lapidicinis marmoreis, vel in terræ motu fluminum, vbi ripa erecta corruit, & ipsa iuncta prædio, remanens fluminis in alueo per eum locum cessare fecit? Respondeo: Puto totum locum domino prædij accedere, sicut per Alluionem. Omnes enim istæ accessiones; quæ diuina natura obueniunt, nullo facto humano interueniente, eiusdem naturæ sunt, vt. ff. de usufructu. l. x. Item si fundi. §. primo. Et hoc videtur sentire Azo in summa Instit. de re. diuis. siue, n. flumen prædio meo addat, & propter hoc ab eo simpliciter recedat, nil addendo nobis accrescit, vt. ff. de acquirend. rerum domin. l. lxxxviii. Martius. Hoc autem nil addendo recedit, sed ab eo recedit naturali impulsu. Istud autem incrementum; quod quandoq; ripa naturaliter excrescente contingit, dici potest alluio: quia latens incrementum est: Quando verò ruina, vel terræ motu contingit, potest dici incrementum aluei recedentis; de quo dicemus in tertio lib. huius operis, cum enim repente fluit, alluio non est. De lacu verò, & stagno dicen-

dum

dum est, quòd quando lacus, & stagna sunt priuata, tunc non est dubium, quòd per alluionem non vni detrahit, nec alio addit: sed locus ille; qui inuundatur a qua lacus, vel stagni, etiam inuundatus remanet eius; cuius primò erat, vt. ff. de acquir. rerum dom. l. xij. Lacus. Et de aqua pluuiarum arce, l. xxiiij. vicinus. §. fin. Quandoq; enim sunt publica, idest Reipub. & ibi nullus piscatur, nisi cui Respub. commiserit, vt in lacu Perusino: tunc idem quod si essent priuata, vt. ff. de contrahen. empt. l. vj. Sed Celsus: Quandoque sunt publica, vt in vsu publico, per eum enim quilibet piscatur ad placitum, tunc addit, & detrahit per alluionem, sicut flumina publica, vt. ff. de verborum signif. l. cxij. Litus publicum. &. ff. vt in flumin. publ. na. lic. l. i.

A D D I T I O N E S.

- a ¶ Et si queratur. Plures quæstiones de fossatis vide per Fel. in c. Rodolphus, de rescrip. & vide Bart. in l. Prædia, §. si ita legatum, & ibi scripsi in apostil. mea. ff. de fund. instr. Thom.
- b ¶ R I P A M fluminis. Vide plenè per Do. Alex. in consil. xliij. in vj. vol. incipien. Omisissis argumentis, vbi plenè ponit de doctrina Bart. & est duplicatum in consil. cxx. in sec. vol. Et idem Baldus in Rubr. ff. de rerum diuisione, in vj. colum. in fi. & seq. Thom.

1 *Adiecta dicuntur, quæ ita adiiciuntur, vt vniantur.*

Quicquid alluione adiicitur, & vnitur prædio nostro, nostrum est.

- 3 *Proiectum per flumen in agrum nostrum, nostrum non est, sed conceditur occupanti.*
- 3 *Arena adiecta alluione fundo nostro nostra est.*

- 1 **Adiecit,** † Adiecta dicuntur ea; quæ ita adiiciuntur, vt vniantur, vt. ff. de rei vendic. l. xxiiij. in rem. §. Item quæcumq;. Vniri autem dicuntur, quando partes inuicem cohærent, apparet enim euidenter id, quod per alluionem additur alteri prædio cohærere. Si quid autem sit, quod adiiciatur, ita quòd cohæreat, siue terra, siue lignum, siue es, nostrum erit. 11-
- 2 **lud autem,** † quod per flumen in agrum nostrum proijcitur, quod non cohæret, licet nullius sit, tamen nostrum non est: Sed occupanti conceditur, vt patet in apibus, & in fauo mellis ab apibus factò, vt ff. de acquir. rerum dom. l. v. Naturalem. §. Apum. Instit. de re. diui.

§. Apum.

§. Apum. Hic etiam apparet, quòd fundi non est, nisi quod in tra se continet, ita quòd sit affixum, vt. ff. de action. empt. l. xvij. fundi. 3 in princip. facit. ff. de acquir. possess. l. iij. §. Neratius. † Quid autem dicemus de arena; cuius partes inuicem non coherent, an nostra efficiatur? Respond. cum hæc materia Terrea sit, nec cuius sit appareat, cum ipso fundo confundi dicitur, sicut dicimus pecunia mista cum pecunia, vt. ff. de solu. l. si alieni. Hoc etiam apparet, quòd omnia incrementa fluminum; quæ fiunt per alluionem sunt additamenta arenosa. De isto igitur iure, vt supradixi, sic sentio, vt glos. sentit.

Iure gentium. Hoc est ius; quo omnes gentes vtuntur, vt. ff. de iust. & iur. l. j. §. si. Competit ergo istud ius deportatis, & cæteris, qui iura ciuilia perdididerunt, vt. ff. de pæn. l. xvij. quidam sunt.

- 1 *Adiectum alluione nobis acquiritur ipso iure absque facto hominis.*
- 2 *Adiectum alluione agro possidetur eo iure; quo possidetur ager.*
- 3 *Alluio non habet locum in agris limitatis.*
- 4 *Agri limitati dicuntur agri capti ab hostibus, & inter milites diuisi.*
- 5 *Territorium vnum, si princeps diuidit inter plures, dicitur ager limitatus, & non habet ius alluionibus.*
- 6 *Territoria diuersa si diuersi integrè assignantur, non dicuntur agri limitati.*
- 7 *Alluio non tribuit iurisdictionem, sicut tribuit dominium rerum priuatorum, & nu. 9.*
- 8 *Iurisdictione est iuris publici. Et qualiter sit iuris publici.*
- 9 *Iurisdictione si diuidatur flumine, qualibet ciuitas, vel Dominus habet iurisdictionem in ipso flumine, vsque ad medium.*

I Acquiritur nobis, † Acquiri nobis intelligo eo iure, quod ager priuum ad nos pertinebat, vt supra dictum est, cum exposuimus verbum, nostro: Et fit acquisitio ipso iure gentium absq; alicuius hominis facto. An autem sic acquiri dicatur, vt possideamus, quod per alluionem adijcitur, dubitari potest. Sed cum hoc, † quod adijcitur, pars primi agri sit, non nouus ager: puto, quòd id, quod

C adiectum

adiectum est, sicut primus ager possidetur, arg. ff. de acquir. possess. l. iij. in princ. In eadem opinione quis videtur esse, vt velit totum fundum possidere, vt ff. de lega. 1. l. viij. Si ex toto, in princip. & l. xxiiij. quod in rerum. §. pen. † Prædicta autem non habent locum in agris limitatis, vt ff. de acquir. rerum domin. l. xvj. in agris, & ff. de flu. l. 1. §. si insula. Quid autem sint agri limitati, ibidem Iurisconsultus explanat, hoc est, ager captus ab hostibus, & diuisus inter milites, vt sciretur quid cuiq; datum esset, quod venisset, & quod in publico relictum esset. d. l. in agris, in fine. Si ergo Princeps vnum integrum territorium vni assignaret, non erit ager limitatus, vt hîc patet, quia non est diuisus. Et hoc vult text. in d. l. in agris. Dum dicit, quod si ager totus apud rempubl. retinetur, non est ager limitatus. † Sed si vnum Territorium Princeps inter plures diuidit, b tunc agri limitati sunt, nec ius alluionis habent. d. l. in agris, & de flum. l. 1. §. si insula. Ratio huius esse potest quia postquam Princeps limitatè decidit, vult, quod semper limitatè possideatur, vt semper sciatur quantum habuit beneficio Principis, nec possit dici, quod habuit beneficio fortunæ. Vel dic, quod ratio est; quia flumina loco Censitorum habentur, hoc est illorum Officialium; qui propter censum accipiunt de iure vnus, & dant alteri, sicut officiales dicti non possunt mutare concessionem factam per Principem, ita nec flumen, arg. ff. de acquir. rerum domin. l. xxx. Ergo. §. penult. Sed huic rationi contradicit expositio Azon. quam facit in Sum. Inst. de rerum diuis. versic. Nonus autem Alueus, vbi dicit, Flumina habentur loco Censitorum, idest Iudicum, & Principum, vel iuris autoritate: Ideo non habeat ius alluionis; quia pro illis prædijs non tenentur soluere factiones: Ideo in alio grauantur, vt C. de fun. lim. l. iij. ff. lib. xj. Vel dic non esse rationem quærendam, postquam habemus determinationem. In agris igitur limitatis non habet locum ius alluionis. † Sed quid, si plura Territoria capiantur, & quolibet territorium per se integrum diuersis militibus assignetur? Respondeo non esse agros limitatos, sicut si vni vnum integrum assignetur, vt dictum est, argum. ff. de verb. obligation. l. xxix. scire debemus. ij. respon. † Quæro et si Territorium, & iurisdictiones Ciuitatum, & c Episcopatum sunt diuisa, & terminata per cursum alicuius flumi-

dis.

nis, an sicut flumen accipit de iure vnius, & dat alteri iure dominij, ita facit in iure Iurisdictionis. Et videtur, quòd Iurisdictiones non mutantur, sunt enim limitate à Principe, ergo videntur agri limitati. d. l. xvj. in agris. Et sic dico, q̄ hoc non apparet, dicam, quòd istæ limitationes sunt antiquæ, & a tempore; cuius memoria non existit, ergo habentur iure constituti per Principem, vt. ff. de aqua quot. & esti. l. iij. hoc iure. §. ducius aquæ. Et sic videntur limitati: Sed hæc ratio non est sufficiens. Pone. n. quòd princeps non diuisit Territoria, vel sicut diuisa inuenit, diuisa seruauit, & tunc agri limitati non dicuntur, vt dictum est: Vel dicamus, quòd Iurdictio non mutatur, quia alluio in alium ea; quæ sunt publica, non transfert. argum. l. lxxxvij. Martius. ff. de acquir. rerum domin. Sed huic obstat quod supradictum est super verbo, nostro, quia ea; quæ sunt publica, hoc est, ciuitatis, in vsu publico ius alluionis habent; cuius gratia videndum est, † an iurisdictiones sint iuris publici. Et constat, quòd sic, vt. ff. de iust. & iur. l. i. §. Huius studij. ibi, Magistratibus, &c. Secundò videndum est, qualiter iurisdictiones sint iuris publici, antequam ea; quæ sunt in vsu publico, an tanquam ea; quæ sunt ciuitatis, vt priuatus possidet. Ad quod sciendum est, quòd sicut pater, & filius: Dominus, & seruus sunt correlatiua, ita iurdictio est quædam relatio dominij in subditos: Et sicut pater habet ius in filium, ita filius contra patrem habet quædam iura petendi alimenta, & similia; ita in iurisdictione subditi habent quoddam ius petendi iurisdictionem à superiore; & si ille denegat, delinquit, & punitur, vt in Authentica, vt differ. iud. §. si tamen. & ff. & C. de magi. conueni. cum sim. & istud est iuris publici, tanquam ea; quæ sunt in vsu publico. Quilibet enim potest à magistratu iustitiam petere, vt dicta l. prima. §. Huius studij. de iustitia, & iure. Alio modo consideratur iurdictio, prout est in ipso Magistratu, Ciuitate, Comite, vel Barone, & isto modo iurdictio est iuris publici, eo modo; quo sunt ea; quæ ciuitas possidet, vt priuatus, quod patet, quia non quilibet de ciuitate vtitur, sed solùm cui Respubl. permiserit, & ea; quæ inde percipiuntur, vt mulctæ, penæ, banna, & similia ipsius ciuitatis, vel dominij sunt tanquam priuata, vt. ff. ne quid in loco publico. l. ij. §. Hoc interdictum, secundo. Item videndum est, † earum

iurisdicção competat cuilibet ciuitati, vel Domino, & in ipſo flumine vsque ad medium ipsius fluminis terminantis. Et respon-
 deo, quòd sic: quia omnia; quæ sunt in confinio, sunt communia
 eorum; qui ab vtraq; parte possident, vt l. xix. arbor. ff. communi
 diuid. & de aqua plu. arcend. l. ij. §. Præterea. Et de acquir. re-
 rum dom. l. vij. adeo. §. fin. Et sic de omni eo, quod commisce-
 tur in ipſo flumine, quilibet habet iurisdictionem vsq; ad medium
 9 fluminis. ¶ His præmissis in quæstione proposita, cum in ipſo flumi-
 ne, & solo ipsius ciuitatis domino, vel alterius loci domino, vel Epi-
 scopo competit ius Iurisdictionis, tanquam ius priuatum, & sic
 * tanquam ad hoc flumen est priuati iuris, * dicendum est indubitan-
 ter, quòd per alluionem, hoc est per additionem; quæ fiat à flu-
 mine, non adijcitur, vel detrahatur iurisdictioni, sicut supradic-
 tum est de lacu, vt. ff. de contrahen. empt. l. lxxix. Rutilia polla. de
 aqua plu. arcen. l. xxiiij. Vicinus. §. si. de acquir. rerum domin. l. xij.
 lacus. argum. ff. de aqua quotid. & estiu. l. iij. hoc iure. §. si aquam.
 Sed. facilis est solutio, si benè inspiciatur.

ADDITIONES.

- a ¶ **S E D** cum hoc. De dictis per Bart. hinc vide plene per Alex. in l. 1. in prin.
 ff. de acquir. pos. & dom. l. i. in l. iij. incip. possideri. de acquir. poss. Tho. Dip.
- b ¶ **D I V I D I T.** Vide alexand. plene in l. Cætera, in prin. ff. de leg. 1. Vbi ple-
 nè examinat doct. Bart. hinc, & vide Bart. Soci. in consil. clxxxj. incip. Visus
 capitulis. Thom.
- c ¶ **Q V A E R O** si territorium. Adde Barthol. Veronen. in suo tract. de seruit.
 in Rubr. de flum. priuato. Et Io. de Platea. in l. si. in fin. C. de fun. limitroph.
 lib. xj. Et apostil. Franc. de Curte. in lib. 1. in Addit. Alex. incip. confertur.
 ff. de iurisd. omnium iud. & plene in consil. lxxvj. Thom.
- * ¶ **D I C E N D U M.** Adde tu, quòd contra hanc opinionem Barti quam tenet
 Baldus in Rubr. ff. de rerum diuis. vers. sed vterius quæritur, & in c. 1. §. si
 quis de manso. de controuer. inuestit. Et ang. ant. & Io. Fab. in. §. Præte-
 rea, Instit. de rerum diuis. consuluit. do. meus Barthol. Socin. in consilio; quod
 incipit: Dominus labia mea aperiat, Et spiritus sanctus illuminet intellectum
 meum, presens consultatio pulchra est, & subtilis; in qua eleganter, & subti-
 liter, quod non habetur in impressis, & ita consuluit collegium Papiense,
 quod consilium est inter consilia Franc. Curtij cons. lxxj. Et etiam Ludou. Bo-
 lognin. in consil. xij. & latum consilium. Vide etiam per Corneum consilio
 cclxxvij. vol. iij.
- i *Intelligere non comprehenditur per visum.*

- 2 *Testis deponens per verbum intellexit, non probat, nisi exponatur, idest vidit.*
- 3 *Alluio probatur per testes deponentes, quod videri ut minutatim incrementum allatum.*
- 4 *Confines reperti fracti in domo presumuntur fracti ab eo; qui remansit ad custodiam.*
- 5 *Factum in consilio presumitur relatum ab eo solo; qui exiit.*

Per alluionem autem id vi-

detur adijci; quod ita paulatim adijcitur, vt intelligere non possimus, quantum quoquo momento temporis adijciatur. Ista verba sunt legis vij. Adeo. §. Præterea, versic. per alluionem. ff. de acquir. rerum domin. Super verbo, momento temporis glos. in verbo. momento temporis sic ait. Nam & si tota die figas intuitum, imbecillitas visus tam subtilia incrementa perpendere non potest, vt in cucurbita ostendi potest: Vnde dicitur latens incrementum, vt Instit. eod. §. Præterea. Ista sunt verba Azo. in summa Instit. de rerum diuis. versic. per alluionem.

- x Et aduertendum est, † quod illud; quod tex. dat intelligere, glos. intelligit, id est per visum comprehendere non potest, & merito. Vt enim naturales dicunt, vna est virtus intellectiua; quæ intelligit, & hæc eadem in homine, mediante organo oculorum videt, & per aurem audit, & sic de similibus: Hæc autem expositio licet verbis legislatoris congrua sit: in dicto alicuius testis congrua non esset; qui de eo debet deponere, quod simpliciter sensu corporis percipit, vt ff. de testa. l. xx. qui testamento. §. fin. C. de testibus. l. xiiij. testium, & not. per Inno. extra de test. c. in nomine, & in c. cum causam. † Si igitur diceret testis aliquid esse, quod sic fieri intellexit, non probaret, nisi exponeretur intellexit, idest vidit, quia potuit per alium modum ad hunc intellectum peruenire; de quo modo interrogetur. Sed hinc merito occurrit dubitatio. † Si. n. hæc alluio non potest per sensum corporis comprehendere: Ergo quid sit alluio per testes non poterit probari. Dico autem, quod bene potest videri, quod flumen addit, sed non quantum quoquo momento, sicut in puero excrescenti videmus. Dico etiam, quod ex diuisione loci post incrementum allatum potest videri, & per vi-
- 2
- 3

sum

sum comprehendi, quod per alluionem est factum. Expositio-
ne enim facta de terra addita, hoc manifeste per omne compre-
henditur, quod minutatim factum est: & quod à flumine factum
est, quod per alium fieri impossibile esset: Vnde puto testem pro-
bare; qui diceret, quòd ipse vidit minutatim incrementum alla-
tum, & vidit, quòd est alluio addita a flumine minutatim. Idem
puto in quacunque materia contingere, vt si sit factum aliquid;
quod nisi ab vno fieri poterit, quòd apta sit probatio illum fecisse.

- 5 † Quid enim si per certam horam vnus ad domus custodiam sit di-
missus, constatq; nullum alium ingressum esse, & confines; qui
6 clausi dimissi erant, fracti reperiantur? procul dubio ille; qui re-
mansit, fecit. † Et quid, si plures erant in consilio super arduis
constituti, & constat neminem exiuisse, vel cum alio locutum fuis-
se, vno excepto, & reperitur negotium esse scitum, & propala-
tum? tunc procul dubio ab illo solo exeunte de consilio, vel cum
alio loquente factum est, cum ab alio fieri sit impossibile, sicut
hic impossibile est ab alio additum, quàm à flumine.

- 1 *Vis in singulari pro potentia, pro violentia, item pro necessitate, &
etiam pro potestate ponitur.*
2 *Vires in plurali denotant effectum, seu efficaciam, & potentiam cor-
poris.*

Quòd si vis fluminis, Hic tractare inci-
pit de incremen-
to non per alluionem, hoc est, non paulatim, & latenter: Sed ma-
nifestè, & palam. Ait ergo vis fluminis, idest potentia fluminis.

- 1 † Multa enim significat hæc dictio vis. Quandoq; ponitur per po-
tentia, vt hîc; & in vulgari dicimus, talis homo habet magnam
vim, hoc est magnam potentiam, quod non intelligitur de corpo-
rali: sed de ea: quam contingit ex multitudine amicorum, vel
subditorum, vel diuitiarum. Quandoquè pro violentia, vt. ff. de
eo, quod metus causa. l. ij. & l. xij. extat. n. cum simil. Quandoq;
pro necessitate, vt. ff. de statu homi. l. iij. libertas, & quod notat
ibi, nisi vi &c. Et dicimus in vulgari, ego facio hoc vi, idest neces-
sitate cogente. facit. C. de rescin. vend. l. xij. non idcirco minus.
Item accipitur pro potestate, vt. ff. de tutel. l. i. in princ. & Inffit.

de

de tut. in prin. Et istis casibus declinatur tantum in singulari per
 2 omnes casus, plurali non vtitur. † Reperitur tamen vires in plu-
 rali, & istud non habet singulare, & interdum ponitur pro effectu,
 seu efficacia, vt ista stipulatio habet vires, vt. ff. de verborum obli-
 gationibus. l. stipulatio ista. §. Hi, qui. in fin. Ponitur etiam vires,
 idest virtutes, vt ait Cato. Herbarum vires, &c. Ponitur etiam pro
 potentia corporis, vt ille homo habet magnas vires. Reperitur
 etiam istud aduerbium vix; cuius significatio ponitur. ff. de indic.
 l. liij. vix, & ad Velleia. l. xix. tutor, cum similibus.

Partem aliquam de tuo præ-
 dio detraxerit, Vt igitur hæc pars locum habeat,

oportet constare, quòd pars illa;
 quam flumen prædio meo applicuit, ex tuo prædio fuerit. Si verò
 cuius fuerit, ignoretur, tunc statim quod terræ meæ applicaretur,
 meum esset, vt supra in principio dictum est, & etiam super verbo,
 adiecit.

- 1 *Applicare idem est, quod apponere.*
- 2 *Adicere fundo dicitur quod inuisibiliter fit, applicare quod visibili-
 ter, & palàm.*
- 3 *Crusta agri tui; quæ applicatur prædio meo, quando possit à te vendi-
 cari.*
- 4 *Crusta agri tui applicata prædio meo, & ita quòd inseparabiliter
 vniatur, efficitur mea.*

Et prædio meo attulerit, &c.

- Instit. de rerum diuisione. §. Quòd si vis: vbi idem est textus, & di-
 1 citur, † applicauerit, quod exponit gloss. in d. §. Quòd si vis, in
 verbo appulerit, idest apposuerit, & subijcit, puta crustam terræ
 fortè vineatæ, & arboratæ. Ita dicit gloss. secundum hoc differt
 hæc pars à præcedenti, quia ibi adiecit à latere, hîc supposuit: li-
 cèt hoc in se verum sit, tamen non puto curandum: siue enim à la-
 tere, siue super fundo talem crustam posuerit, idem iuris est.
 2 † Differt ergo, quòd in præcedenti parte adiecit inuisibiliter; hîc

verò visibiliber, & palam. Quid autem sit hoc; quod dicit applicaverit, seu applicuerit, advertendum est. Potest autem hoc esse sine vnione rei, quæ applicatur. Dicimus enim nauem ad portum applicasse, vel applicuisse, non tamen vnitur portui. Et sic hoc modo † crusta agri tui; quæ prædio meo applicatur, sine dubio tua manet, vt hîc, & à te poterit vendicari, vt ff. de dam. infec. l. ix. hoc amplius. §. primo. † Quandoque crusta agri tui meo prædio applicatur aliqua leui vnione, vel quod potest de facili reparari, & tunc idem. Ideo dicit textus, palam est tuam rem permanere, vt hîc. Rarò enim terra potest apponi super terram, quin aliqua- lis applicatio, & vnio fiat: Et ideo hæc lex notabiliter requirit, quòd arbores radices emmiserint, vt infra videbimus, quando crusta agri tui meo prædio applicatur, ita quòd inseparabiliter vnitur, tunc prædij mei efficitur, vt infra dicitur.

1 *Crusta applicata fundo meo, intra quantum tempus dicatur vnita cum meo, & mihi acquisita.*

2 *Impositum fundo meo, fundo meo acquiritur, & additum per alluionem mihi acquiritur.*

3 *Arbor mea imposita tuo fundo, etiam si sibi coaluerit, petitur actione in factum.*

4 *Crusta applicata fundo meo, postquam fuerit vnita vendicari non potest.*

Arbor antequam coaluerit vendicatur à Domino.

Crusta antequam sit vnita, potest agi contra Dominum, vel vt illam tollat, vel vt illam pro derelicto habeat.

Planè si longiori tēpore, &c. ^{Ean-}dem

materiam prosequitur, quando ab initio crusta in meum agrum, vel fundum translata est sine vnione. Si enim ab initio fuerit vnita, vt multum cum terra agri mei vnita sit, ita quòd nec discerni, nec separari potest, aliàs possessio mea non esset, vt d. l. ix hoc amplius. §. i. de damn. infec. Sed quando ab initio sic vnita non esset, tunc ex post facto fieri potest vnio, & vniri potest; quod si fiat, tunc efficitur mea. † Hoc autem qualiter fiat, vnum exemplum ponitur, si longiori tempore fundo meo hæserit, quod vt hîc

ingloss.

in gloss. i. in verbo, longiore tempore, dicitur, quidam expone-
 bant x. vel xx. an. quod gloss. reprehendit. Sufficit enim quod tan-
 to tempore stet, quod coalescat arbor in terra, vel si forte crusta
 non habeat arbores, sufficit si tãto tempore steterit, q̄ si ibi arbores
 essent, coaluissent, ex cursu enim tanti temporis præsimitur facta
 unio terræ, & hæc est mens huius literæ. Puto etiam, quòd si in-
 tra modicum tempus illa crusta propter pluuiam sit disrupta, &
 cum terra agrī mei vnita sit; quòd statim sit effecta mea. arg. ff. de
 glan. legend. l. i. & d. l. ix. hoc amplius. §. i. Ex eo enim tempore;
 2 quo cum terra vnitur, fundo meo dicitur acquisita. † Et aduertē-
 dum est, quòd supra in acquisitione; quæ sit per alluionem, di-
 ctum est, quòd acquiritur nobis: hīc verò dicitur, quòd acquiri-
 tur fundo, quòd verum est; pro vt hīc gloss. intelligit, quia loquitur
 de eo; quòd supponitur, quòd ipsi fundo acquiritur. Illud ve-
 1 rò, quòd fundo adijcitur, potest domini destinatione possideri, vt
 fundus separatus à primo, & sic magis personæ, quàm rei dicitur
 acquiri. Sed intelligendo, quòd hīc etiam per extensum non est
 ius, quòd siue acquiratur nobis, siue fundo nostro idem est, ab ini-
 tio enim fundo acquiritur, licet possimus postea sepe ratim possi-
 3 dere destinatione nostra. † Cum autem arbor coaluerit, an ven-
 dicari possit, glo. tenet, quòd possit peti actione in factum: Et
 4 hæc de arbore. † Ipsa autem terra postquam vnita est, peti non po-
 test. d. l. ix. hoc amplius. §. ita demum. de damno infecto: Ante-
 quam autem coaluerit, ipse dominus potest vindicare, dicit ta-
 men de damno infecto caueat, vt d. l. ix. hoc amplius. §. fin. Ego
 autem, in cuius præiudiciū delata est crusta, possum agere
 contra dominum, vt ipsam tollat, vel pro derelicto
 habeat, vt l. vij. Prætor ait. §. fin. ff. de damn,
 infecto. Postquam verò vnita est, hoc
 facere non possum, vt dicta lege
 ix. hoc amplius. §. Alfe-
 nus, vers. Sed nec
 ego.
 Ad figuras nunc veniamus.

D

PROPOSITIONES,
ET FIGURAE
DEMONSTRATIONES
PRO ALLUVIONVM
DIVISIONIBVS.



VIA circa diuisiones, eorum quæ per alluionem adi-
ciuntur, quæstiones plures vidi, quarum doctrinam
date impossibilæ arbitrør, nisi res inspectione oculo-
rum inspiciatur: Ideo figuras ad oculum demon-
strantes inserui; per quas illa sola docere intendo;
quæ communiter ignorantur, & in hoc vtar aliqui-
bus conclusionibus geometricis: Nec hoc quis arbitretur incon-
gruum, quia omnis scientia ancillatur huic: Est enim Architectica
de alijs cunctis disponens, vt dicit Arist. i. Ethicorum. Sciendum est
igitur, quòd inter eos; qui ex vna parte fluminis prædia possident,
id quod per alluionem adijcitur, vel quoquomodo, scilicet dimitten-
do Insulam, vel Alueum, commune est pro diuiso pro modo lati-
tudinis; quæ latitudo propè ripam sit, vt in. l. vij. Adeo. §. Insula:
Hoc autem fit ducendo lineam per directum, per illam partem, quæ
adiecta est per alluionem, seu per Insulam dimittendo Alueum.


PRAEMISSVM I. FIGVRA. I.



D ostendendum igitur, quæ sit linea recta per dire-
ctum ducta, facta est ista figura. Sed an linea sit re-
cta, quæro tribus modis. Primò, an linea sit recta
secundum se, & de hoc in figura. Secundò, an linea
sit recta respectu alterius lineæ; supra quam ca-
dit. Tertiò, an linea sit recta respectu alterius pun-
cti; qui est in angulo duarum linearum; idest an
rectè secet angulum per medium: De quolibet videamus. De pri-
mo dico, quòd linea recta secundum se, est ab vno puncto ad alium
breuissima extensio, vt patet in prima linea supra posita; vbi sunt

duo

duo puncti a. b. Nam si extendatur prima linea ab vno puncto ad alium; illa linea erit recta, & si vnum filum tangens illos duos punctos extenderetur in infinitum; tota linea erit recta, vt patet ad sensum, & figura demonstrat. Item sciendum est, quòd si fieret aliqua linea super duos punctos æquidistantes à primis, vt c. d. æquè erit linea recta: Et si in infinitum illæ duæ lineæ extenderentur, nequaquam iungerentur, vt ex figura patet ad sensum. Sed si fierent duo puncti, non æquè distantes à primis, sed vnus esset magis propinquus primæ lineæ, alius magis remotus, vt est e. & f. Tunc protrahendo li




neam, linea non est recta secundum se, vt præcedens: nam punctus e. est magis remotus à linea c. d. quàm punctus. f. & tandem protrahendo illas duas lineas, necesse est eas simul iungi: Si verò secundus punctus esset remotus, vt in linea g. h. (constat enim, quòd punctus g. est magis propinquus præcedenti lineæ, & punctus h. est magis remotus) tunc quantò magis istæ duæ lineæ extenduntur, magis elongantur, vt patet ad sensum. Et prædicta sunt multum notoria in geometria, vt patet primo lib. Euclidis.

PRÆMISSVM II. FIG. II.



Hæc figura facta est ad ostendendum quomodo posita vna linea recta super aliquo puncto ipsius lineæ alia linea recta perpendiculariter, & rectè cadat; quod cognoscitur, quia quando super vnam lineam rectam alia rectè, & perpendiculariter cadit, tunc vterq; angulus rectus erit. Sed si non caderet rectè,

& perpendiculariter, tunc vnus angulus erit acutus, alius apertus erit, & latus, quasi obtusum ostendat: Exemplum primi dicti. Sit posita linea a b. & in ea ponatur punctus d. super illo ducatur perpendiculariter linea c. d. tunc vterq; angulus erit rectus & æqualis. Exemplum secūdi dicti. Sit posita linea e f. punctus in ea. g. positus, super illo ducatur linea non rectè, neq; perpendiculariter. vt si flectatur versus punctum f. & sit linea g. h. Tunc angulus est acutus in illa parte; qua flectetur, & ab alia parte erit obtusus. Sed dubitatur, si ponatur



linea k l. & in ea punctus m. & ducatur super illam lineam linea m, n. quæ in nullam partem flectatur, & tamen in aspectu non videatur linea recta, quid erit? Respondeo verè est linea recta prima k l. & alia m, n. super ea rectè cadit, si consideretur secundum se, non autem si consideretur respectu quadraturæ istius cartæ; super qua describitur: sed ad istud nullus est habendus respectus, sed solùm ad lineam positam, & ad illam; quæ supra eam ducitur, & hoc est vtile scire ad multa; quæ infra dicentur.

P R A E M I S S Y M III. §

F I G. III.


P R O B L E M A I.



QUÆ in diuisione; de qua tractaturi sumus, sepè accidit diuisiones fieri per medium: Ideo ad hoc docendum, & demonstrandum facta est ista figura. Ponatur ergo linea recta a b. quam volumus diuidere per medium, ita quòd in ipso libro possit cuique demonstrari. Primò ponam pedem circini in puncto a. & describam circulum vltra medium lineæ, vt ostendit circulus ru-

beus

beus CED , deinde ponam pedem circini in puncto b . & supra eum faciam circulum æqualem primo, vt ostendit circulus azureus CFD . qui duo circuli se se proscindunt in duobus locis, c , & D , vt apparet. Ducam igitur lineam rectam ab vno dictorum punctorum, vbi circuli se proscindunt, ad alium, vt ostendit linea cd . Dico q̄ hæc linea diuidit lineam ab . datam per medium, vt apparet, & probatur sic. Si ab æqualibus æqualia adimas, ea, quæ remanent, sunt equalia; vt dicit Euclides. Sed æqualis distantia est à puncto a . vsq; ad circumferentiam CED circuli rubei, qualis est à puncto b . ad circumferentiam CFD , circuli azurei, & per lineam cd . æqualiter adimitur ab vtraq; parte hæc distantia: Ergo patet, quòd illud; quod remanet de linea ab . ab vtraque parte, est æquale, videlicet AF , ad BE . Et sic linea cd . eam secat per medium. Item ex prædicta figura apparet alia demonstratio: videlicet q̄ si inter a , b , non esset linea ducta, sed esset spatium;



quod inter duo puncta A . & B . debet diuidi iure proximitatis: quòd dicta linea cd . diuidit dictum spatium directò per medium, ita q̄ quicquid est supra, est magis propinquum a . & quicquid est infra, est magis propinquum b . etiam si linea cd . extendatur in infinitum. Apparet etiam ex dicta figura alia demonstratio, videlicet quòd supra vnã lineam, vel basim rectam duarum linearum circularum æqualium se proscindunt, & à puncto vbi se proscindunt, si ducatur linea ad punctum; qui est in medio dictæ linearum, vel basis, illa linea perpendiculariter cadit, & facit angulũ rectum ab vtraq; parte, vt patet ad oculum, & probatur ex præcedentibus. Quòd si dicta linea diuidit spatium per medium, apparet, quòd non flectitur versus aliquam partem, &

fic

fic facit angulum rectum ab vtraque parte. Et ista sunt multum necessaria ad cognitionem sequentium.


PRAEMISSVM IIII. §
PROBLEMA II. §

FIG. IIII.



FIGURA ista est facta ad ostendendum qualiter posita vna linea recta, & puncto in ea posito, supra illum punctum alia linea recta, & perpendiculariter ducatur, sicut ex his, quae posita sunt, de necessitate concluditur. Sit igitur linea posita a b. & in ea positus punctus c. supra quem volo aliam lineam directam perpendiculariter ducere, faciam igitur ab vtraque parte illius puncti. C. duos punctos d. e. aequè distantes, deinde assumam duas aequales lineas cum duabus virgulis, vel cordulis, & vnam ponam super puncto d. aliam super puncto e, & ambas coniungam per modum Trianguli in puncto f. Postea ducam lineam a puncto c. posito

vsque ad punctum f. Dico igitur, quod illa linea rectè, atque perpendiculariter cadit supra lineam datam in puncto dato, vt hic oculus ostendit, quia facit angulum rectum ab vtraque parte, & probatur in lib. Euclidis. Vel breuius sic. Data sit linea g h. in ea ponatur punctus. l. supra quem volo rectè, & perpendiculariter lineam ducere: faciam duos punctos aequè distantes à puncto dato, vt k. m. deinde ponam pedem circini in puncto k. & extendam vsque ad punctum m. Et voluam illum versus partem; quam volo illam lineam ducere. Deinde ponam pedem circini in puncto m. & extendam vsque ad punctum k. & si simili modo voluam; sequitur, quod illae lineae circulares se inuicem secant



bunt

bunt


bunt in puncto n. Dico igitur, quòd si à puncto l, dato ducatur linea ad punctum n. perpendiculariter, & rectè cadit supra dictum punctum l, eadem ratione, qua supra probatum est in præcedenti figura. Quandoquidem supra vnam basim rectam duæ lineæ circularum equalium se proscindunt, & à pūcto vbi se proscindūt ducitur linea ad punctū, qui est in medio basis, & super illos duos punctos linea in infinitum producta, semper rectè cadit, vt patet ex his, quæ dixi supra in prima figura. Hoc etiam patet ex his, quæ dicta sunt, quia dicta linea cadens ab vtraquè parte facit angulum rectum.

PRAEMISSVM V. FIG. V.



FIGURA ista est facta ad designandum casum tertium, quod in prima fuit quæsitum, scilicet si ponatur vnus punctus in angulo duarum linearum, & supra illū velim ducere lineam rectam, seu perpendiculariter, qua liter fiat, quod docet hæc figura. Ponantur ergo duæ lineæ, scilicet a b. & b c. quæ conueniunt in vno puncto B. & ibi faciant angulum, cuiuscunquæ conditionis sit ille angulus, & super illum punctum volo ducere lineam rectam: Faciam igitur ab vtraq; parte anguli b, in illis lineis punctum, scilicet d, & e, & ductis lineis d f, & e f, æqualibus eo modo; quo supra, & se tangen-

tibus in puncto f. Dico, qd si ducatur linea à puncto f, vsq; ad punctū b, quòd illa linea rectè, & perpendiculariter cadit super b. quod patet, quia si ducatur alia linea recta à puncto d, ad punctum e, illa secatur per medium, & ibi sunt quatuor anguli recti, vt probatur in



tibus in puncto f. Dico, qd si ducatur linea à puncto f, vsq; ad punctū b, quòd illa linea rectè, & perpendiculariter cadit super b. quod patet, quia si ducatur alia linea recta à puncto d, ad punctum e, illa secatur per medium, & ibi sunt quatuor anguli recti, vt probatur in

lib.

lib. Euclidis. Propterea in ipso angulo b . sunt duo anguli æquales. Vel si vis aliter probare, & operari, ponas duas lineas gh , & hi , quæ conueniant in puncto h , supra quem vis ducere lineam rectam, faciam ab vtraque parte in illis lineis punctum k . & m . æquidistantem à puncto h . Deinde ponam pedem circini in puncto k . & alium extendam vsque ad n . & voluam supra, versus illam partem; super quam volo ducere lineam, deinde ponam pedem circini in puncto m ; & alium extendam vsque ad punctum k , & voluam simili modo. Tunc illæ duæ lineæ circulares se proscindunt in puncto n . Ducatur ergo lineam rectam à puncto h , vsque ad punctum n , Dico, quòd illa rectè, & perpendicularatur cadit supra punctum h , eadem ratione; qua præcedens: Et si ducatur alia lineam rectam à puncto k , vsque ad punctum m . illa secatur per medium per lineam nh , & erunt ibi quatuor anguli recti: & in puncto h , similiter fiunt duo anguli æquales. His præmissis ad euidenciam, nunc ad propositum veniamus, ponendo ripas, prædia, & alluiones.


PROPOSITIO I. FIG. VI.



D euidenciam dicendorum præmitto, quòd flumen designabitur per colorem azureum, & caput fluminis erit ab illa parte; à qua erit caput alicuius animalis, & versus illam partem fluent prædiorum ripæ per colorem nigrum: Illud, quod est medium inter prædia, & flumen, intelligatur alluio, seu per alluionem. Item lineæ rubæ factæ sunt illæ; quæ verè diuidunt alluionem. Lineæ flauæ, siue crocæ factæ sunt causa demonstrationis, vel disputationis: & si quandoque fieret aliqua lineam azurea, in ipsa figura declarabitur ad quem finem fiat. Nunc ad præsentem figuram veniamus, & aduertendum est, quòd lineam, quæ est ripa omnium prædiorum, est recta omni rectitudine. Item duo prædia paria habent confinia directa, adeo quòd lineam diuidens prædia, cadit directè in lineam ripæ; quod patet, quia ab vtraque parte facit angulum rectum. In istis duobus prædijs diuisio est clara, quia protrahitur lineam directò per alluionem vsq; ad flumen, vt ostendit lineam rubeam mn . & illa lineam est directam respectu ripæ, & directè coniungitur cum ripa

diuidente

diuidente prædia. Videndum est de ripa, quæ est inter prædia Titij, & prædia Seij, & inter prædia Seij, & prædia Meuij, in illis est dubium: Nam lineæ diuidentes prædia, licet sint directæ in se, non tamen cadunt directè in illam lineam; quæ est ripa, vt patet, quia ab vna perficiunt angulum acutum, ab alia obtusum. Si igitur ducerem per alluionem lineam secundum rectitudinem lineæ, non iret vsque ad flumen, sed iungeretur in puncto a. Vt ostendunt lineæ zalg A E, & A E, & sic prædium Seij; quod est maioris latitudinis iuxta ripam, haberet minus de alluione, nec protenderetur vsque ad flumen. Dicendum est ergo, quod lineæ confinium diuidentes confi-



nia, nulla tenus attendendæ sunt: Quoniam in dicta lege adeo. §. Insula. in fine. ff. de acquir. rer. dom. dicitur pro modo latitudinis; quæ latitudo propè ripam sit. Si ergo fiat diuisio consideretur lineæ, quæ est ripa, & consideretur lineæ, vbi cadit lineæ diuidens confinia, & ibi assumatur vnus punctus E, indiuisibilis, vt ostendunt lineæ nigre, & ab vtraq; parte illius puncti, fiant duo puncti æquè distantes b.c. & ponatur pes circini in puncto b, & extendatur ad punctum c. & voluatur versus alluionem; & postea ponatur in puncto c, & extendatur ad punctum b, & simili modo versus alluionem, quæ duæ lineæ reuolutæ se proscindunt in puncto d. Deinde ducatur lineæ recta à puncto e, vsq; ad punctum d, & protrahatur vsq; ad flumen, vt ostendit lineæ rubea DE; Dico igitur, quod illa rectè cadit supra lineam; quæ est ripa, vt probatum est supra in tertia figura, & est recta à puncto d, vsq; ad lineam assumptam, & quantuncunq; ultra protrahatur, recta erit, vt dictum est supra in prima figura. Et si-


E milis

milis diuisio est inter Seium , & Meuium , vt lineæ ductæ ostendunt.

PROPOSITIO II. FIG. VII.



HÆC figura habet lineam ripæ vniformem ; & cum tractetur de alluionis diuisione , omnes rustici protrahunt lineam secundum quòd ostendit linea flaua A B C , ducta secundum rectitudinem lineæ diuidentis prædia : Sed hanc diuisionem rusticorum non esse bonam apparet , quia linea debet duci recta secundum rectitudinem lineæ ripæ , vt ex precedentibus liquet , & secundum illam non est recta , quæ apparet , quia linea flaua



ducta A B C , versus caput fluminis facit angulum obtusum E B C , & versus pedem facit angulum acutum C B F , quod repugnat lineæ , quæ dicitur recta . Facienda est ergo diuisio alluionis , prout ostendit linea rubea B D , ducta supra lineam ripæ , quæ ab vtraq; parte facit angulum rectum , & sic ipsa rectè cadit perpendiculariter , vt supra demonstratum est . Et si dicatur , quòd ripæ linea non est recta , respondeo , imò est recta secundum se , quod considerandum est : non autem vadit secundum rectitudinem lineæ prædiorum ; quæ est ab alia parte , quod aduertendum non est .


PROPOSITIO III. FIG. VIII.



ISTA figura differt à præcedentibus , nam præcedentes habent lineam rectam : hæc verò habet duas lineas in vno puncto ; quæ faciunt angulum obtusum , scilicet in illo puncto A , vbi sunt fines inter Lucium , & Titium . Dico igitur , quòd

ad

ad diuidendum alluionem inter dicta duo prædia, debet duci linea, vt ostendit linea rubea A B, ducta vsque ad lineam azuream C D, & quòd linea A B, cadat rectè, probatur; quia factis duobus punctis E, F, equè distantibus, & duabus lineis circularibus E G, F H, ductis super eis, vt ostendunt lineæ crocæ, & ab illo puncto I vbi se interfecant vsq; ad punctum A, datum, ducta linea A I B,




illa linea cadit perpendiculariter. vt demonstratum est supra in quarta figura. Hoc etiam probatur ratione propinquitatis, vt dicitur in sequenti figura. Illud verò, quod est supra lineam C D, azuream, debet diuidi, ac si ripa esset recta, vt illa linea azurea C D, ostendit; Nam quod iuris est in eo, quod prædio primo adjicitur, idem est in eo, quod ipsi addito adjicitur, vt. ff. de acquir. rer. dom. l. Insula. Sed si ab initio ripa habuisset illam rectitudinem, illo modo facta fuisset diuisio, vt supra in sexta figura. Hoc in sequenti figura rectius, & clarius demonstrabitur.

PROPOSITIO IIII. FIG. IX.



D e euidentiâ istius figuræ præmitto, quòd flumen addit quandoq; ita, quòd ripæ sunt ab vtraq; parte eius sicut facit flumen per alluionem positum, & tunc illud dimissum debet esse commune inter eos, qui sunt ab vtraq; parte propinqui, vt. ff. de acquir. rer. dom. l. adeo. §. Insula, & §. quòd si toto: Quandoq; illud, quod dimittitur, habet ripam tantum ab vna parte,

& tunc debet diuidi inter eos, qui ab eadem parte prædia possident per lineam indirectum ductam, vt. ff. de acquir. rer. dom. l. inter eos, vt supra dictum est. Et aduertendum, quòd licet iura loquantur; quando ripa est ab vtraque parte fluminis, eadem tamen ratio est, quum ab vno latere fluminis sint duæ ripæ, inter quas contineatur relicta alluuiò. Hoc præmissò, dico quòd hæc figura habet duas lineas rectas, scilicet a b, & b c, quæ faciunt vnum angulum in puncto b. Dico igitur, quòd alluuiò dimissa inter dictas duas lineas habet latera ab vtraq; parte, ideò debet diuidi iure propinquitatis: Illud verò, quod est vltra duas lineas, quomodo apparet ex se, du-



ctâ linea à puncto a, ad punctum c. habet solum ripam ab vna parte, & ideo debet diuidi per directum. Ducatur ergo supra punctum b. linea rubea recta b, d, quam apparet esse directam ex quinta figura. Tunc dico, quòd quicquid est supra dictam lineam b, d, versus caput fluminis, est prædij Lucij iure propinquitatis, quod sic probatur. Ponatur punctus e, in dicta linea rubea b d, & supra illum fiat circulus k, l, m, rubeus; qui punctualiter tangat ripam Titij. Dico, quòd ille circulus æqualiter tangit ripam Titij, & Lucij, & sic illa linea est in medio directè: Deinde infra dictam lineam fiat punctus f, & super eum voluatur circulus rubeus N O P, qui punctualiter tangat ripam Titij c b. dico, quòd ille circulus non tangit ripam Lucij, ergo ab illa magis distat. Et eodem modo supra dictam lineam rubeam fiat punctus g, & super eum describatur alius circulus rubeus Q R S. qui punctualiter tangat ripam Lucij b a. Dico quòd non tangit ripam Titij c b: ergo ab illa magis distat: Et sic conclu-


ditur

cut additum antiquo prædio, vt dictum est in præcedentibus: Et prædicta vera sunt, si proponatur quæstio sic simpliciter, & per quem modum alluio accesserit, sit incertum. Si verò constaret, quòd primò addiderit alluio certam partem, postea aliam, tunc declarabitur in sequenti figura.

PROPOSITIO VI. FIG. XI.



ISTA figura facta est ad declarandum illud, quod dictum est in precedenti: si enim poneretur simpliciter totam alluionem esse diuisam; qualiter fienda sit diuisio, apparet ex dictis in tribus præcedentibus figuris. Sed pone flumen primò per alluionem diuifisse illam partem, quæ continetur intra lineam rubream a d g, ductam supra prædium Titij, & Lucij: dico quòd tota illa alluio esset Lucij, & Titij; quorum prædijs adhereret, & Caius nihil haberet facere ibi. Secunda verò alluio diuidetur, po-



nendo alluionem primam præ ripa, & sic inter ipsam, & prædium Caij ducetur linea A E, per medium secans ex doctrina data in precedenti. Sed opponitur, quòd de alluione prima debeat prædio Caij, nam inter prædia Lucij, Titij, & Caij, sunt duæ lineæ, quæ faciunt angulum in puncto a. & sic pars alluionis habet duo latera a e, & a d, vt ostendit linea crocea b c. Ergo illa debet diuidi iure propinquitatis, vt dictum est: Sed pars illius alluionis est magis propinqua prædio Caij; quod patet, quia si super puncto lineæ A D G, alluionis primæ posito in linea rubea A D. secata per lineam B C. cro-


cea m

ceam, vt in puncto d. fiat circulus; qui tangat punctualiter prædium Titij tantum; occupabit partem de prædio Caij, vt ostendit circulus azureus AFG. Respondeo, hoc, quod alicui accreuerat iure propinquitatis, habet locum, quando illud; de quo acquirendo ageretur, neutrius fundo cohereret, vt Insula, quando vni coheret, & alio non, semper illi cedit, cui coheret, nec attenditur proximitas alterius, vt. ff. de acquir. rerum domin. l. Insula, in princip.

PROPOSITIO VII. FIG. XII.



LICVRA ista facta est, vt ostendatur quòd prædia quædam possunt esse; quibus de alluione non debetur vsq; ad flumen, sed ante intermoritur; Vt si alluio contineatur inter duas lineas, scilicet a b, & b c; quæ faciunt angulum in puncto b. qui angulus cadit quasi in medio prædij Titij. Primò ergo fiat linea rubea diuidens per mediũ, vt linea b F. vt probatum est supra in octaua figura. Ex quo patet, quòd quicquid est ab ea linea supra versus caput fluminis, cedit illi ripæ a b. & quicquid est ab




illa linea infra versus finem fluminis, cedit illi ripæ b c. & hoc ratione propinquitatis, vt dictum est; Nec prædium Titij habet diuidere superiori vicino, & inferiori. At si bene respicias, punctus diuidens prædia cadit in lineis rectis secundum se, ergo debet diuidi ducendo lineam rectam super eam, vt ostensum est supra in septima figura, sicut ostendit linea e f. & linea g f. Et sic in puncto f. portio contingens agrum Titij finitur, & intermoritur: Si enim transiret vltra, vel


si linea

si linea torqueretur, nec iret recta, vt si volueres lineam e f. versus caput fluminis, vel si transfret vltra b d f. dares primæ ripæ plusquam deberes iure proximitatis; quod iura prohibent, quamquam ponatur per alluionem sic simpliciter accreuisse. Sed si poneres, quòd primo accreuisset in totum triangulum g b e. prædij Titij vsq; ad lineam croceam e g. tunc deberet fieri diuisio, vt in seq. figura.

PROPOSITIO VIII. FIG. XIII.



HÆ c figura differt à præcedenti: nam hęc ripa continetur tribus lineis, scilicet a b. & b c. & c d. & habet duos angulos, scilicet in puncto b. & in puncto c. tota igitur hęc alluio debet diuidi iure propinquitatis, quia tota continetur intra plura latera. Primò igitur ducatur linea rubea secans per medium super angulum b. & sit linea b e. deinde ducatur linea per medium diuidens super angulum c. & erit linea c f. quæ duæ lineæ secabunt se in puncto g. Dico ergo, quòd portio alluionis perti- nens ad agrum Titij in dicto puncto g. finitur; quia si fieret circulus



super puncto g. vtranq; lineam punctualiter tangeret: ergo ille est punctus; in quo propinquitas vtriusq; terminatur: Si verò excederes, & velles facere circulum præter punctum g, tunc vni partium accederet, & ab alia elongaretur; quod ergo est intra illud triangulum b g c. pertinet ad prædium Titij iure propinquitatis: quod patet, quia intra illud triangulum ponitur centrum vnus circuli in puncto h. qui punctua liter tangens ripam Titij, nullam aliam ri-


pam

pam tangit. Inter Lucium, & Caium reliquum alluvionis dividit debet per lineam directò ductam vsq; ad flumen. Et hæc sufficiant de ripa; quæ habet lineam, vel lineas rectas. Restat videre de ripa; quæ habet lineam circularem,

THEOREMA I. FIG. XIV.



De euentiam earum; quæ dicenda sunt de figura circulari, sciendum est, quòd circulus est figura plana, vna quidem linea contenta, quæ circumferentia nominatur; in cuius medio punctus est; à quo omnes lineæ ad circumferentiam exeuntes sunt sibi inuicem æquales, vt dicit Euclides. In hac namq; figura centrum est in puncto *a*, & omnes quatuor lineæ inde exeuntes sunt sibi inuicem æquales, & si plures ducerentur idem esset. Item apparet, quòd omnes lineæ prædictæ in centro faciunt angulum. Item præmitto, quòd totum illud, quod est in circulo intra aliquas lineas duas, est magis propinquum illi parti circumferentiæ, quæ in punctis




duarum linearum terminatur. Verbi gratia assumas partem circumferentiæ *b c*. & duc lineas rectas ad centrum, & faciunt triangulum *b a c*. dico, quòd quicquid est intra illum triangulum, est magis propinquum illi parti circumferentiæ *b c*. quàm alicui alij, quod patet ad sensum, & potest probari. Nam ponatur centrum *f*. in aliqua parte intra dictum triangulum, & supra illum ducatur circulus azureus *g h i*; qui tangat punctualiter in *g*. dictam partem circumferentiæ *b c*. Dico, quòd nullam aliam partem circumferentiæ tanget,


F ergo

ergo illi est magis propinquum: Et idem dicendum est de eo; qui continetur intra illum triangulum $b a e$. Et intra illum triangulum $e a d$. & supra illum triangulum $c a d$. vt euidenter apparet.

PROBLEMA IIII. FIG. XV.



VI A in præcedenti dictum est, quòd lineæ ducendæ sunt à centro ad circumferentiam, & quandoq; ignoratur, vbi sit centrum, & ideo expedit, quòd ducatur linea à circumferentia versus centrum, vel quòd centrum inueniatur: Ideo facta est hæc figura; quæ duos habet circulos, & sic fieri docet hoc duobus modis. Primo sic, sit exemplum, quòd apponatur in circumferentia vnus punctus b . & ab vtraq; parte eiusdem accipiantur puncti duo alij æquè distantes c, d . deinde ducatur linea recta $c d$. & istius lineæ inueniatur medium in puncto e . deinde ducatur linea recta



$b e$. dico quod de necessitate ista vadit directè supra centrum, scilicet punctum a . vt probatur in principio tertij libri Euclidis. Hoc etiam patet, quia item in alia partè circumferentiæ ponitur punctus f . & ab vtraq; parte duo puncti æquè distantes g, h . deinde inueniatur medium dictæ lineæ $G H$. in puncto i . deinde ducatur linea recta $f i$. dico, quod ista de necessitate vadit versus centrum, & si vltra pretendantur linea $b c$. & linea $f i$. secabunt se in puncto a . vbi est centrum. Concluditur ergo, quòd ibi, vbi dictæ lineæ se secant, de necessitate est centrum. Hoc etiam fieri alio modo ad idem tendenti docet secundus circulus. Ponatur enim, quòd sit circuli centrum, qui

non

non videtur in puncto a. ponaturq; in circumferentia punctus b, & ab vtraq; parte eiusdem duo alij puncti æquè distantes c. d. deinde ponatur pes circini in puncto c. & extendatur vsq; ad punctum d. & voluatur supra, & infra circinus: Eodem modo ponatur pes circini in puncto d. & extendatur vsq; ad punctum c. & sic illæ duæ lineæ circulares ductæ se secabunt extra circulum in puncto e, & intra in puncto f. Ducatur igitur linea c f. dico, quòd illa de necessitate vadit versus cætrum: Et eodem modo si in alia parte circuli idem fiat, vt si ponatur in circumferentia punctus g. & ab vtraq; parte duo puncti æquè distantes h. i. deinde voluatur circinus supra h. & supra i. vt in præcedenti dictum est, & sic dictæ lineæ se secabuunt in puncto k. & in puncto m. Ducatur ergo linea k m. recta, tunc illa ducit ad centrum, & sic in illo puncto, vbi se secabunt linea e f. & linea k m. ibi erit centrum A. His præmissis ad euidentiam, dico, quòd prædiorum ripa; quæ habet lineam circularem, quandoq; habet se, vt continens, quia intra circulum dimissa est alluuio: quandoq; habet se, vt contentum, quia alluuio continet circularem ripam: si primo modo, tunc aut ripa continens lineam circularem continet minus, aut plus semicirculo, totum aut circulum continere non potest, quia sic flumen nõ haberet exitum, & hæc in figuris proximis declarabuntur.

PROPOSITIO IX. FIG. XVI.



I hæc figura inspiciatur, tota continetur vna ripa; quæ est minus semicirculo, & ab ipsa ripa alluuio est contenta: Et omne contentum est minus continente, vnde de alluione non potest dari tantum, quantum est ripa. Item licet sit vna linea, tamen quia est rotunda; habet duo latera se respicientia, ideo id, quod continetur intra ipsam, debet diuidi iure propinquitatis, vt in præcedentibus demonstratum est. In quolibet ergo puncto, vbi fines prædij terminantur, necesse est, vt ducas lineam, quæ respiciat centrum secundum antecedentem figuram. Quo facto certum est, quòd illud, quod intra duas lineas continetur, illi parti propinquior est, vt supra probatum est in xiv. figura. Et quia duplex est modus operandi ducendæ lineæ versus centrum, vt supra in

F 2 proxima

non videtur in puncto a. ponaturq; in circumferentia punctus b, & ab vtraq; parte eiusdem duo alij puncti æquè distantes c. d. deinde ponatur pes circini in puncto c. & extendatur vsq; ad punctum d. & voluatur supra, & infra circinus: Eodem modo ponatur pes circini in puncto d. & extendatur vsq; ad punctum c. & sic illæ duæ lineæ circulares ductæ se secabunt extra circulum in puncto e, & intra in puncto f. Ducatur igitur linea c f. dico, quòd illa de necessitate vadit versus cætrum: Et eodem modo si in alia parte circuli idem fiat, vt si ponatur in circumferentia punctus g. & ab vtraq; parte duo puncti æquè distantes h. i. deinde voluatur circinus supra h. & supra i. vt in præcedenti dictum est, & sic dictæ lineæ se secabuunt in puncto k. & in puncto m. Ducatur ergo linea k m. recta, tunc illa ducit ad centrum, & sic in illo puncto, vbi se secabunt linea e f. & linea k m. ibi erit centrum A. His præmissis ad euidentiam, dico, quòd prædiorum ripa; quæ habet lineam circularem, quandoq; habet se, vt continens, quia intra circulum dimissa est alluuio: quandoq; habet se, vt contentum, quia alluuio continet circularem ripam: si primo modo, tunc aut ripa continens lineam circularem continet minus, aut plus semicirculo, totum aut circulum continere non potest, quia sic flumen nõ haberet exitum, & hæc in figuris proximis declarabuntur.


PROPOSITIO IX. FIG. XVI



I hæc figura inspiciatur, tota continetur vna ripa; quæ est minus semicirculo, & ab ipsa ripa alluuio est contenta: Et omne contentum est minus continente, vnde de alluione non potest dari tantum, quantum est ripa. Item licet sit vna linea, tamen quia est rotunda, habet duo latera se respicientia, ideo id, quod continetur intra ipsam, debet diuidi iure propinquitatis, vt in præcedentibus demonstratum est. In quolibet ergo puncto, vbi fines prædij terminantur, necesse est, vt ducas lineam, quæ respiciat centrum secundum antecedentem figuram. Quo factò certum est, quòd illud, quod intra duas lineas continetur, illi parti propinquior est, vt supra probatum est in xiv. figura. Et quia duplex est modus operandi ducendæ lineæ versus centrum, vt supra in

F 2 proxima

proxima figura dixi, ideo hinc in tribus ripis ter operaberis, ducendo lineam rubeam BC, & DE, & FG, vsq; ad flumen. Et ad hoc,



vt reddaris certus, quod illæ lineæ respiciant rectè centrum, reperitur illud ultra flumen in puncto A, vt lineæ crocæ AC, AE, AG, ductæ post rubeas ostendunt.

PROPOSITIO X. FIG. XVII.





FIGURA hæc differt à præcedenti: quia illic alluuium non excessit continentiam ripæ rotundæ, hinc verò excessit, vnde illud; quod continetur intra ipsam ripam, debet diuidi eo modo; quo dictum est in præcedenti: id verò; quod est supra lineam azuream a b. ductam à puncto a. vsq; ad punctum b.




diuidatur, ac si ibi esset ripa facta, vt lineæ rectæ CD, & EF, ostendunt,

ginandum est enim, quòd sic circulariter accreuerit, vt ostendunt duæ lineæ croceæ, C D, & E F, & sic circulariter ductæ supra idem centrū a. quæ duæ lineæ sunt positæ extra eam: & eodem modo intelligo accreuisse vsq; ad centrum a. Sin autem poneres, quòd in vna parte alluio appulerit, postea in alia, tunc qualiter facienda esset diuisio, patet ex prædictis in decima figura.

PROPOSITIO XII. FIG. XIX.



ICVRA ista est plus semicirculo; quod patet, quia si ducatur linea ab vna parte circumferentiæ ad aliam, centrum; quod est in puncto a. remanet in illa linea: dicendum est igitur, quòd omnia prædia media, scilicet Titij, & Caij, secari debent pro rata, iure proximitatis, vsq; ad centrum, vt dictum est in præcedenti. A centro verò supra debet esse eorum prædiorum; quæ sunt ab vtraque parte extremitatis, scilicet prædiorum Lucij, & Meuij, vt lineæ rubeæ a D, a E, a F, ductæ ostendunt. Quòd au




tem linea ag, rubea; quæ est supra centrum, vadat per medium inter Lucium, & Meuium, potest de facili inueniri; tamen, vt in hac figura probetur, factæ sunt ibi lineæ croceæ; quæ hoc ostendant sic. Ponatur pes circini in puncto b, & extendatur verisimiliter vltra medium, & ducatur circulariter. Deinde ponatur pes circini in puncto c. & similiter extendatur, & ducatur, & consideretur vbi illæ duæ lineæ se præscindunt, & ab illis punctis ducatur linea a G, recta, de ne-


cessitate

cessitate illa secat per medium.

PROPOSITIO XIII. FIG. XX.




A BEC figura differt ab omnibus præcedentibus, nam in illis aliqua continentur ab vna linea recta, aliqua à pluribus lineis rectis; aliqua à linea vna circulari: ista verò continetur à tribus lineis; quarum duæ sunt circulares, vt $a b$, quæ est prima: $c d$, quæ est vltima; alia media $b c$. dico ergo primò, quòd ducta linea recta crocea $a b$, totum intra illam lineam, & antiquam ripam contentum, est prædij Lucij, & de illo ad Titium nil pertinet, nec iure propinquitatis, nec iure adhaerentium, vt patet ad sensum;



Et eodem modo ducta alia linea crocea recta $c d$, illud totum pertinet ad Caium; ad Titium verò nihil eadem ratione. Quo facto, remaneret figura à tribus lineis rectis $b E$, $b c$, $c F$, contenta, & sic qualiter diuisio debeat fieri, apparet ex xiiij. figura supraposita: & hoc ostendunt lineæ rubæ $B E$, $C F$, ductæ. Illud etiam notandum est vniuersaliter, quòd concauitates; quæ sunt in ripa vnus prædij, si sunt ita irregulares, quòd in prædictas figuras non cadant, debent reduci ad regularitatem, & rectitudinem, vt in hac figura factum est: Nam portus; qui sunt in Insula, ipsius Insulæ esse dicuntur, vt. ff. de publican. l. xv. Cæsar. Portus autem est quidam locus conclusus, seu quædam concauitas, quæ est in ripa, vt. ff. de verb. signif. l. lix. portus appellatus, ita concauitates; quæ sunt in ripa prædij, debent esse ipsius prædij. Hæc de figuris irregularibus dicta sint, vt si quando

reperiantur

reperiantur, ad regularitatem ducantur; quæ figuræ irregulares sunt infinite, nec de eis potest dari doctrina, nisi reducantur ad figuras regulares. Præterea quædam dicta sunt de linea recta; quæ declarant quæstionem occurrentem de facto inter dominos molindinorum superiorum, & dominos molendinorum inferiorum: Erat namq; pactum, quòd clausura molendini superioris non possit eleuari altius, nisi ad certum clauum immissum in quadam columna existente ab vna parte fluminis versus litus ipsius fluminis; accidit verò, quòd ab alia parte fluminis nulla columna reperiebatur, neq; aliquis clauus, nisi solum ab illa parte; de qua actum fuit inter dominos molendinorum: Querebatur quantum ab alia parte fluminis; de qua nihil actum erat, dominus inferioris molendini possit, vel debeat altius eleuare clausuram, dubium erat: quia cum tantum vnus punctus detur; à quo linea debet duci; scilicet ille clauus; qui est in columna solùm ab vna parte fluminis, ab alia verò parte fluminis non



fit punctus, videtur quòd ab alia parte fluminis, vbi columna non fuit immissa, neq; clauus, possit altius eleuare clausuram dominus molendini inferioris, & aquam ducere in quacumq; parte vult: Patet, cum ab alia parte non sit positum aliquid; quod declarat quantum flumen ducatur in altum, vel clausura, non poterat dari ibi aliqua comparatio, arg. l. xxvij. in testamento quidam scripserat. ff. de cond. & demon. Sed respondetur, q̄ illa verba, quæ dicunt, q̄ clausura non possit eleuari altius illo clauo, debent intelligi de tota clausura, arg. ff. de seru. urban. præd. l. xxij. si seruitus imposita. Et sic debet intelligi, pro ut ille clauus respicit totam longitudinem, & latitudinem

dinem

dinem clausurę per directum linea transducta : arg. C. de ædif. priua. l. i. & d. l. xxix. inter eos. de acquir. rer. dom. Qualiter autem linea directa transducatur, apparebit, si ex illo clauo extendatur cordula versus aliam partem ripę; deinde super illam cordulam plumbum, seu perpendiculum ponatur : Et si quidem cordula plumbi cum illa corda à clauo ducta facit angulos omnes rectos, ad modum rectę crucis, linea est rectę ducta : Si verò anguli essent aliqui acuti, & aliqui obtusi, tunc linea, aut esset nimis erecta, vel nimis depressa, vt patet ex his; quę dicta sunt supra in secunda figura. Item faciunt prædicta in argumentum ad aliud; quod sepè occurrit de facto, maxime in instrumentis diuisionum, vt sepè apponitur, quòd vnus habeat à tali loco ad talem, prout trahit per directum : de quorum verborum significatione, quandoq; videtur dubitari. Dico igitur quòd quandoq; in instrumento apponitur totus locus, per quem debet duci extensio latitudinis; quandoque ponuntur extremitates limitatae, quandoq; ponitur vna extremitas limitata, alia verò obscura. Primi casus exemplum, dicit instrumentum, quòd quicquid est à tali via, vel à tali flumine citra, secundum quod protrahitur à per directum, sit primi; quòd verò est vltra, sit secundi. Et hoc, quòd dixi per directum, debet intelligi prout via, vel flumen vadit : & licet non vadat recte, tamen rectum appellatur secundum quòd versus est directus, vt. ff. de excusatio. tuto. l. xij. non solum. §. annus autē, ibi, viam rectam dirigens, &c. Secundi casus exemplum, si dicatur à tali termino vsq; ad talem, prout trahit per directum, sit talis uiri : tunc verum est, quòd rectitudo est ab vno puncto ad alium extensio, vt dictum est in prima figura. Tertij casus exemplum est, quòd talis primus habeat à tali termino, prout trahit per directum: nam licet terminus ipse sit rectus, & punctualis, vt partes declarant, tamen ad nullas partes duci potest linea recta, nisi secundum, quòd terminus est altus, vel proclivus, latus, vel strictus, acutus, vel planatus, rotundus in modum columnę, vel quadratus. Et ad hoc dico, quòd lapides; qui ponuntur pro termino, consueuerunt poni taliter, q̄ in certam partem videntur respicere, vt si lapis est longus, non enim debet respicere à lateribus, sed per directum à parte anteriori acuta. & ita vidi rusticos antiquos dicentes; quibus est standum in istis, vt. ff. de leg. iij. l. lxxvij. si chorus. iuncto c. quia iudicante. extra de præscri.

Ex qualitate ergo termini hoc perpendetur: vel si qualitas termⁱⁿ hoc non induceret, tunc esset aduertendum, quòd si terminus ille esset prope aliquam sepem, vel limites, quòd ab illis limitibus ducatur linea recta: hoc est, quòd angulum rectum dimittat in ripa; quòd qualiter fiat in superioribus clarè declaratum est. Consulo tamen, quòd qui talia instrumenta componunt, curent clarius exponere; & hæc de linea recta: ea verò; quæ dicta sunt de linea rotunda, faciunt argumentum, imò determinant quæstionem notabilem de facto emergentem, prout in sequenti figura declarabitur.


A D D I T I O.

a q Per directum. Vide Fel. in c. olim. de excep. vbi plenè. Thom.

P R O P O S I T I O X V. F I G. X X I.



FIGURA ista dirimit quæstionem magnam occurrentem de facto. Statuto cauebatur, quòd qui per vim damnificauerat alium de re valoris decem florenorum auri, deberet morte puniri. Contingit quòd quidam ad domum alterius accessit, & vegetem vino plenam per vim effudit, & vegetem destruxit: Sola vna dogia A. remansit, & de bonitate vini erat certum, sed de quantitate erat dubium; hoc est quantæ capacitatis esset vege. Dico, quòd ex his; quæ dicta sunt supra in xv. figura, hoc poterit cla-




rè haberi hoc modo. Signetur illa rotunditas ed. illius doghæ A. in terra, vel in tabula, vt ostendit linea nigra a b. Constat enim, qd illa est pars rotunditatis totius vegetis; super illam partem fiant si-


gna.

gna ad inueniendum centrum, vt in illa xv. figura dictum est; & ducantur duæ lineæ; quæ se præscindant; plenè constat; quòd centrum est in puncto c. Deinde pone pedem circini immobilem in puncto ipso c. & extende alium vsq; ad lineam a b. & perficias circulum: vt ostendit circulus a b d. rubeus ductus: Dico, q̄ de necessitate illa erit rotunditas vegetis. Sic igitur habens longitudinem ex dogâ remanente, & rotunditatem ex circulo, quilibet communis Geometra sciret dicere capacitatem: At si veges in medio esset largior, de facili ad æqualitatem reducitur per mensores communis, vel demonstatoris, vt videbis breuius in sequenti figura.

PROPOSITIO XVI. FIG. XXII.



STA figura facta est ad demonstrandum idem, quod præcedens, sed breuius. Constat enim quòd dogâ vegetis habet duas lineas circulares, scilicet interiorem, & exterioriorem, & interior est minor, & quælibet respicit cætrum vnum. Item dogâ vegetis habet duas lineas rectas, scilicet ab extremitate exteriori vsq; ad extremitatem interiorem. Sed duo puncti exteriores illarum linearum magis distant ad inuicem, quàm duo interiores: & ideo si dictæ duæ lineæ protrahantur, necessarium est iungi, vt dictum est



in prima figura. Sic ergo grosities vnus doghæ, vel duarum satis est, vt ostendunt lineæ a b. b c. ab exteriori circulo vsq; ad interiorem: Deinde ducantur rectæ lineæ doghæ ab vtraq; parte, & iungantur se in puncto d. ipse enim d. est centrum circuli interioris, & exterioris. voluas ergo circulariter, & habebis grositiem vegetis.